



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

Historiæ Pelagianæ Liber Secundus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)



HISTORIÆ PELAGIANÆ LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Cassianus apud Massiliam Semipelagianismi Auctor. De Cassiani patriâ Holstenii sententia laudata. Plura Guesnay de Cassiano dicta confutantur.



Ucusque de gestis, ac scriptis Sancti Augustini contra Pelagianos dictum est, modò transimus ad eos, qui ejurato Pelagio nonnihil tamen ejusdem errorum retinuerunt; hos Scholastici Recentiores dixerunt Semipelagianos, quorum cum Princeps fuerit Joannes Cassianus vir literis, ac morum integritate illustris, de ejusdem origine, atque in Galliam adventu nonnulla præmittenda esse duximus; is enim non modò Massilienses, apud quos Monasterium condiderat, Augustino hostes fecit, verùm etiam vicinos Lerinæ Monachos quoad illam de gratuitâ prædestinatione ad fidem sententiam in partes contra Doctorem Hipponensem traxit, undè gravissimi per universam Galliam tumultus excitati sunt, nonnullis Sancti Augustini dicta acerrimè defensantibus, aliis longè pluribus eadem pertinaciter impugnantibus, quæ omnia in præsentì volumine nobis describentur.

Prodivit anno 1652. Lugduni excusus Liber satis justæ molis inscriptus *Sanctus Joannes Cassianus illustratus* auctore Joanne Baptistâ Guesnay, qui Xenophontis Cyropædiam imitatus Cassianum non qualis reapse fuit, sed qualem ipse eundem esse voluerit, nobis exhibuit. Initio libri Scythicam Cherronesum fusiùs describit, ibique cap. 1. apud Theodosiam urbem, quam Scythicarum omnium principem facit, avitam Cassianorum gentem *in honoribus amplissimis, fortunisque maximis constitutam* figit. Ex hac, inquit, ortus magni ingenii adolescens Athenas scientiarum discendarum causâ missus nobilem ibidem adolescentulam adamavit, nuptiisque celebratis ex eadem paulò post Cassianum suscepit Athenis natum patre Scythâ, matre indigenâ. Hoc pacto facili negotio Guesnajuus Gennadium, qui Cassianum natione Scytham dixit, cuidam Chronico Massiliensi Monasterii Sancti Victoris, in quo Cassianus apud Athenas natus dicitur, conciliavit. Addit cap. 3. Cassianum adhuc quadrimum in Palæstinam à genitoribus

deductum fuisse, atque celeberrimi Monasterii Patribus traditum, quò simul & pietatis, ac literarum rudimenta perdisceret. Addit cap. 6. septennem Athenas revocatum in nobilissimâ Orbis Academiâ gravioribus disciplinis animum addixisse, ibique cum Germano itidem ex Scythiâ oriundo arctissimam amicitiam coluisse, cum quo demum, ut scribit cap. 8. in Palæstinam reversus Monachum induit. Quæ omnia sine ullo teste post annos mille ducentos, & quod excurrit, animosè ille Scriptor asseruit, quasi Cassiani ephemeridem legisset. At Lucas Holstenius eximie eruditionis vir cap. 3. Præfationis ad Regulas Monachorum in Galliis apud Provinciam Cassianum ortum arbitratur, idque non modò ex stylo Gallicanis illius ætatis scriptoribus familiari, verùm etiam ex ejusdem asceticis Commentariis deduci existimat; nam Collat. 24. cap. 1. scribit: *Quia ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revivendos parentes quotidianis acriùs astibus urgebamur. Quibus verbis Provinciam Provinciæ palam à Cassiano designatam putat. Præterea hæc de suâ patriâ Cassianus subjicit: Ipsorum locorum situs, in quibus erat à majoribus nostris avita possessio, ipsarumque amenitas jucunda regionum antè oculos pingebatur, quam grate, & congruæ solitudinis spatiis tenderentur, ita ut non solum delectare Monachum possent secretâ sylvarum, sed etiam magna victus præbere compendia.* Quæ Scythiorum desertorum squallori, ac Caucasæis rigoribus minimè convenire posse laudatus scriptor observat.

Video hanc Holstenii de patriâ Cassiani sententiam viris doctis probari, quos inter ob eximiam eruditionem meritò nominandus venit Illustrissimus D. Joannes Gualterius Slusius à Secretis Brevium S. D. N. Clementis X. Et ut verum fatear neque violenter ex eodem Cassiano hoc ipsum colligi videtur. Cum Germanus, ac Cassianus Abrahamo Ægyptio Monacho desiderium repetendæ patriæ, quo æstuant, aperuissent, tale responsum tulere: *Vos, qui summo animi, & corporis nisu in hac regione duntaxat quasi naturam patriæ vestræ in multis impugnare conamini, diligenter expendite, utrum in illis torpidis, ut fama est, regionibus, & velut frigore nimie infidelitatis obstrictis hanc, ut ita dixerim, nuditatem sustinere possitis.* Collat. 24. cap. 8. At idem Cassianus Collat. 11. in Præfatione scribit, Eucherium Lugdunensem postea Episcopum in Ægyptum pergere

voluisse, ut hanc quasi frigoris Gallicani rigore torpentem Provinciam delinquens ad illas, quas Sol iustitia proximus respicit terras, maturis virtutum frugibus redundantes velut turtur castissimus transvolaret. Ita utrobique Provincia, in qua ortus Cassianus fuit, frigore torpida describitur. Præterea Cassianus, ac Germanus Anachoreticam vitam instituire se velle dicebant nullo visitantium subinde Monachorum adventu turbatam, cui tranquillitati minus aptas esse dicebant Ægypti eremos, quod, aiebant, interdum à fratribus frequentati jugi secreto, ac diuturno silentio secundum desiderium nostrum nequaquam possumus inhaerere &c. Quod sine dubio nullatenus in nostrâ Provinciâ credimus eventurum, in quâ aut nullum, aut certe rarissimum professionis hujus virum invenire possibile est. Idem verò in Præfatione Collat. 18. Anachoreticam vitam incognitam ferè in hac regione, nempe Gallicanâ, pronuntiavit, ubi laudans Minervium, Leontium, ac Theodorum, queis Collationes illas nuncupat, ait: *Anachoreticam sive sublimitatem vestris institutionibus provocastis.* Quare cum Cassianus juvenis in Ægypto degebat, incognita ferè Galliis erat anachoreleos disciplina.

Guesnajuus è Cherroneso Scythiâ oriundum Cassianum exhibet, patre quidem, uti diximus, Theodosiæ cive nobilissimo, à quo Athenis ipse postea genitus fuit, matre Atheniensi. Sed Cassianus se non fuisse Atheniensem disertè ostendit lib. 1. de Instit. cap. 6. ubi describens Monachos Ægyptios ait: *Gestant etiam vesiculos duplices laneâ plexas subtegnine, quas Græci ἀβάλλας, nos verò succinctoria, seu redimicula, vel propriè rebracchiatoria possumus appellare.* Nunquam homo Atticus se à Græcis distinxisset. Undè verò Guesnajuus Theodosia in mentem venerit, nescio. Non est hic animus singula queque refellere, quæ de Cassiano idem Scriptor literis mandavit, inanem enim prorsus operam ponerem, atque Lectorum patientiâ plus justo abuterer; nonnulla tamen hic subjiciam, ut universa illius operis facies cognoscatur. Narrat cap. 7. Cassianum cum Germano arctissimam familiaritatem in Academiâ Atheniensi inter ipsa literarum commercia inivisse, cum tamen Cassianus hæc scribat Collat. 1. initio: *Cum quo, nempe Germano, mihi ab ipso rrocinio, ac rudimentis militia spiritualis ita individuum deinceps contubernium tam in cenobio, quam in eremo fuit, ut culti ad significandam sodalitatatis, ac propositi nostri parilitatem pronunciarent, unam mentem, atque animam duobus inesse corporibus, quæ repetit cap. 1. Coll. 16.* Non ergo in Academiâ Atheniensi, sed in Bethlehemitico cenobio arcta illorum amicitia initium auspicata est. Scribit in fine cap. 7. Cassianum ad religiosâ vitæ studium ardentius capessendum à sodali suo Germano excitatum: *Quò liberius, inquit, omnem curam, atque operam in cognitione altiorum verum consumeret, Germani tamen auctoritas, & exemplum inflexit, ad altiora Christiana disciplina fundamenta jacienda.* At sui statim oblitus in eadem pag. 19. initio cap. 8. ait: *Et quidem Germanus, quod docile ingenium nactus esset, & obseques, nec ad parendum pervicax, ita paulatim mente, sensibusque immutatus est, ut Cassiani verbis in cognitionem veritatis mundana, rerumque caducarum adductus novis illico exarserit desideriis.* Ita contraria subinde pronuntiavit. Rectè inquit Seneca initio lib. 1. de Clementiâ: *sicla citò in naturam suam recidunt.* Varias ibidem Cassiani navigationes, ac peregrinationes narrat, antequam eundem Massiliam deducat. Si navigatio describitur, modò flantibus

Etesis, tranquillo pelago, plenis velis Cassianus vehitur cap. 2. pag. 10. cap. 43. pag. 140. modò eundem adversis fluctibus agitatam, proximumque naufragiis facit cap. 5. pag. 12. cap. 19. pag. 52. cap. 24. pag. 76. cap. 30. pag. 85. mare, quando libet, quando lubet, pacans, agitans, ac si in utre, uti olim Ulysses, ventos includeret. Exactè etiam instituta à Cassiano navigationis tempora novit; undè cap. 41. *Sub exitum anni;* at cap. 30. *inclinante hyeme* navigasse eundem tradit. Si verò terrestri itinere Cassiano per Palæstinam pergendum est, compendiaris quasdam vias describit sacra loca visitantibus hucusque incognitas; nam cap. 18. pag. 51. narrat, Cassianum salutationum officii perfunctum è Bethlehemitico oppido profectum *Joppem versus stadiis vix quatuor, aut quinque supra octo distantem.* Ita auctore Guesnajuus Bethlehem nec plenis duobus miliaris Joppe distat, cum tamen sciamus, à Joppe Rammam esse M. P. X. à Ramma Jerusalem M. P. XXXX. Bethlehem verò M. P. VI. Jerosolymis distare scribit Sanctus Hieronymus. Consulenda sunt itineraria Jerosolymitana, ac Geographorum tabulæ. Itinerarium Equitis Joannis Zuallardi omnium Italarum manibus teritur.

Anno 398. Joanne Chrysofomo ad Constantinopolitanam sedem evecto, Cassianus, ac Germanus ejusdem Clero adscripti sunt, Germanus Presbyter, Cassianus Diaconus designatus fuit. Guesnajuus, ut ubique veris falsa misceat, dicit Theophilum Alexandrinum Chrysofomi electioni se se opposuisse *ex jure prætenso à Patriarchis Alexandrinis in electione Episcopi ejus civitatis:* Cap. 32. pag. 94. Næ Theophilus vir doctissimus canonem sextum Nicænum ignorabat, qui Alexandrinâ Diocesi limites præfixit? Sedes C. P. suberat Primati Autocephalo Heraclensi in Thraciâ; & quidem cum inter confinia Diocesis Constantinopolitana interponatur ampla Diocesis Asiatica Autocephalo Ephesino subiecta, ac plures Patriarchæ Antiocheni provincie, undè aliquod jus supra sedem C. P. Alexandrinus Antistes fonnare potuisset ignoro. Porrò Cassianus palam fatetur se fuisse inter Chrysofomi Clericos lib. 7. de Incarnat. cap. ult. & Gennadius cap. 61. de Script. Illustr. ait: *Cassianus natione Scythâ Constantinopoli à Joanne Magno Episcopo Diacono ordinatus &c.* Verùm Chrysofomo postea Eudoxiâ Augustâ furore in exilium acto, Germanus, ac Cassianus pro suo Antistite Romam ad Sanctum Innocentium Papam nomine Cleri C. P. Legati venerunt; scribit enim Innocentius hæc ipsa in literis ad eundem Clerum: *Ex literis charitatis vestre, quas per Germanum Presbyterum, & Cassianum Diaconum misistis, tragediam malorum, quam ob oculos posuistis, anxî sollicitudine cognovi.* Guesnajuus hac Cassiani legatione recitata hæc addit cap. 35. pag. 106. *Designatus fuerat è Romani inter colloquutores Leo Innocentii Archidiaconus vir egregiè sanctimonie, atque doctrinæ, qui deinde Sixto succedens ordinatus est Romanus Pontifex, quantique referret hoc etiam commilitone partem, ac studia Chrysofomi stabiliri Cassianus intelligens, privatis quoque officiis hunc demereri, ac rei controversarum rationes edocere annisus est.* Hæc ille: Nolo interrogare undè nam Leonem inter colloquutores designatum acceperit, video enim cuncta ex libito sine teste ab eodem scribi; Certè tunc Leo non erat Innocentii Archidiaconus, uti neque etiam fuit tempore Zosimi, qui Innocentio successit; etenim anno 418. sedente Zosimo erat Eulalius Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, qui contra Bonifacium schisma conflagavit; nam in libello suppli-

ci Cleri Romani ad Honorium Imperatorem apud Baronium anno 419. pag. 432. appellatur *Archidiaconus Eulalius*; Id temporis erat Leo Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, quando mortuo Sixto Pontifice ejusdem Successor plenis suffragiis electus fuit, quod contigit anno 440. quare ultra annos triginta durasset Leonis Archidiaconatus. Cæterum omnium bonorum vota irrita cecidere, mortuo in exilio Chrysofostomo anno 407. die 14. Septembris; quare Cassianus Byzantio discedens in Galliam se contulit, atque apud Massiliam sedem fixit.

Rursus hic nobis Guesnæus confutandus est: scribit Cassianum post Chrysofostomi mortem Romam venisse, ibique à Sancto Innocentio Presbyterum ordinatum, statim Pelagii tunc Romæ degentis hæresim acerrimè confutasse, quæ fusiùs profequitur cap. 39. Idem cap. 40. Urbis direptionem recitat, additque Cassianum exeunte anno 410. ex Italiâ profectum ad Lerinenses Monachos, dein ad Leontium se contulisse, quod cap. 42. enarrat, illum denique in Massiliâ portum appellit cap. 44. Quæ omnia procul à verò abeunt: Nam Pelagius licet Romæ nonnulla contra divinam gratiam garriret, nondum tamen ut hæresicos asserter cognitus fuerat, imò ibidem adeo celebris habebatur, ut illius nomen, vel apud Africanos eximie commendaretur, ipso etiam teste Augustino cap. 22. de Gestis Pel. seu rectius Palæstinis: *Prius absentis*, inquit, & *Romæ constituti Pelagii nomen cum magnâ ejus laude cognovi*. Sed cum Cassianus ex Italiâ in Galliam contendit, profectò non potuit officii gratiâ visitare Lerinenses, aut Leontium; nam cum Cassianus primùm Massiliam appulit, nondum Lerina Monachis habitabatur, & Foro-Juliensem sedem tenebat Sanctus Cylinnius Leontii decessor, ut ex ipsomet Cassiano, & literis Sancti Augustini ad Cylinnium offendam cap. 3. Guesnæus cap. 34. Scriptorem nescio quid falsi de Cassiano narrantem vocat *inconsultum, temerarium, ac frigidum fiftorem*, additque: *Compingentes Cassiani vitam unâ cum aliis mendaciis istud ipsum præterisse noluerunt*: Quæ verba suo auctori an potiori jure reddenda sint, alii judicent. Hoc sanè constat, posse nos Guesnæi exemplum imitatos quoruncumque hominum, quorum nudum tantùm nomen ad posteros transit, gesta literis consignare, si nullo teste laudato ex proprio cerebro dicta, ac facta quælibet confingere liceat, quod non est Heroum virtutes laudare, sed fabulas vendere, ac præclarissimorum virorum gesta ex mendaciis compacta posteritati irridenda obtrudere.

Interim Cassianus constructo apud Massiliam cœnobio in ore famæ esse cœperat, quare Castor Aptensium Antistes egit per literas cum Cassiano, ut commentaria de institutis Monachorum Ægypti sibi transmitteret. Morem gessit Cassianus, ac duodecim de eo argumento libros exaravit, in quibus postremam Pelagianæ sententiæ moderationem secutus posse nos dixit bona opera humanis quidem viribus inchoare, at non sine divinâ gratiâ eadem perficere; scribit enim lib. 12. cap. 14. *Nec hoc dico, ut humanos conatus evacuans ab industriâ, & laboris intentione quemquam revocare contendam. Sed planè constantissimè non meâ, sed seniorum sententiâ desinio, perfectionem quidem sine his omnino capi non posse, his autem solis sine gratiâ Dei posse eam à nemine consummari: Ut enim dicimus conatus humanos apprehendere eam per se ipsos sine adjutorio Dei non posse, ita pronunciamus laborantibus tamen, ac desudantibus misericordiam Dei, gratiamque conferri, & ut verbis Apostoli loquar, vo-*

lentibus, & currentibus *impartiri*. Ne tamen putaretur sentire Gratiam Dei secundùm merita dari, quæ erat Pelagianorum sententia, subjungit: *Dicimus enim secundùm Salvatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inveniri, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit, quod pulsamus, vel illud, quod quærimus, fecerit inveniri; Præstò est namque occasione sibi tantummodò à nobis bona voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda*. Ceterum Cassianum non bono fuisse in Augustinum animo indè colligitur, quòd tacite ejus operosas de divinâ gratiâ disputationes videtur fugillare, dum ad eandem contra Pelagianos probandam potiores esse scribit magistros ac duces Ægyptios Monachos, qui ad eandem nos multis virtutum exemplis conducere possunt, quàm illos, qui eam demonstrare conati sunt *verborum jactantiâ*, cap. 13. *vaniloquâ disputatione, aut syllogismis dialecticis, vel Tullianâ facundia*. cap. 15. quæ Augustinum certè notant, qui unus divinam gratiam tot libris, ac disputationibus contra hæreticos stabilivit. Quo anno hosce libros ad Castorem Cassianus perscripserit, mihi non liquet. Saussajus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad diem 21. Septembris tradit Castorem Monasterio ædificato regulam à Cassiano impetrasse, cumque diu eo in cœnobio Abbatem egisset, Aptensium Episcopum in demortui Quintini locum subrogatum, graveque cum Arcadii Imperatoris Ministro in Galliis lites habuisse. Sed profectò hæc falsa sunt; Nam, ut nihil de Ministro Arcadii dicam, Galliæ enim diviso inter fratres Imperio ad Honorium pertinebant, Castor jam Episcopus à Cassiano regulam postulavit, ut ex Præfatione Cassiani habetur, in quâ Castorem *Beatissimum Papam* vocat, & postea: *In Provinciâ siquidem tuâ cœnobiorum ex parte Orientalium, maximèque Ægyptiorum volens instituta fundare &c. me quoque elinguem, & pauperem sermone, atque scientiâ, ut aliquid ad explementum tui desiderii de inopiâ sensus mei conferam possis*. Sanè Arcadius obiit anno 408. quo tempore nondum lites de gratiâ emerferant, Cassianus verò, ut patet ex lib. 12. à cap. 14. post exortas de eadem gratiâ disputationes volumen illud emisit. Verùm antè damnatam hæresim Pelagii anno 417. ab Innocentio, vel anno sequenti à Zosimo illum scripsisse puto; nam Pelagii sententiam, quæ gratiam non nisi legem esse contendebat, cap. 18. refert, illamque absque ullâ reprehensione dimittit; Ægyptios Monachos divinæ providentiæ gratias egisse tradit, *quòd adjurat nos, & illuminat, ut ipsum adjutorium nostrum, quod non aliud quidam interpretari volunt, quàm legem, intelligere, & agnoscere valeamus*. In quibus graviter à Cassiano peccatum est, tum quòd divinam gratiam ex Pelagii sensu explicatam citrà reprehensionem proposuit, tum quòd Augustini veram interpretationem tacitus præterivit, datâ indè fortè Monachis Aptensibus errandi occasione; ex quibus antè Pelagianorum damnationem libros duodecim de institutis Monachorum illum Auctorem scripsisse suspicor, nam postea ex libris contra Nestorium Pelagianorum hostem Cassianum agnovimus. Cum verò lib. 2. cap. 9. collationes Patrum vitâ superflite se literis mandaturum Castori promississet, crebris ejusdem Episcopi precibus interpellatus manum operi admovet, quod dum profequitur, Castor diem obit; at ubi decem collationes compilavit, eisdem Leontio Episcopo, atque Helladio Monacho

Monacho dicatas vulgavit; Hinc majus in dies apud Gallos Cassiani nomen evaderebat. Castor quidem adhuc vivebat anno 419. nam nominatur in Epistola Bonifacii Papæ ad Episcopos Galliarum datâ Idibus Junii Monaxio V. C. Cos.

Erant tunc in ore famæ ob vitæ sanctitatem, ac monasticæ disciplinæ rigorem Lerinenfes; est autem Lerina insula Provinciæ adjacens adversus Antipolim. Hi quidem Cassiani volumina avidè perlegebant, adeoque eisdem delectabantur, ut novas à Cassiano collationes efflagitarint. Sanctus Honoratus Lerinenfis cœnobii conditor, & rector erat, celebres aderant Monachi Eucherius, Maximus, Hilarius, Faustus, Lupus, aliique, qui postea summâ cum laude Gallicanas Ecclesias gubernarunt. Eucherius in proximâ Leronis insulâ Anachoretam agebat, Lerinam tamen initio incoluerat, undè suam eandem insulam solebat appellare. Hic septem alias Collationes iteratis literis à Cassiano extorsit, teste eodem in præfatione antè Collat. 18. *Post conspectum*, inquit, *atque colloquium trium illorum senum, quorum Collationes sancto Fratre nostro Eucherio compellente utcumque digessimus.* In his collationibus liberius de gratiâ, & libero arbitrio sensit, quam in illis prioribus decem, nam licèt collatione tertiâ à cap. 11. usque ad 22. de divinæ gratiæ necessitate differuerit, non adeò tamen confidenter locutus est, uti in Collat. 13. ad Lerinenfes; etenim Collat. 3. cap. 15. ait: *Hic quoque & initium conversionis, ac fidei nostræ, & passionum tolerantiam donari nobis à Domino declaravit. Quod intelligens David quoque similiter orat, sibi hoc ipsum Domini miseratione concedi dicens:*

Tf. 67. *confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, ostendens, non sufficere sibi salutis principia dono Dei, gratiâque collata, nisi fuerint eadem miseratione ipsius, & quotidiana opitulatione perfecta. Postea: Hæc autem dicimus, non ut studium nostrum, vel laborem, atque industriam quasi inaniter, & superfluo impendenda vacueamus, sed ut noverimus, nos sine auxilio Dei nec adniti posse, nec efficaces nostros esse conatus ad capeendum tam inmane præmium puritatis, nisi nobis adiutorio Domini, ac misericordiâ fuerit contributum. Verùm licèt de initio fidei ita sentiret, capite tamen 16. aperte initialem fidem quandoque viribus liberi arbitrii attribuit his verbis: *In tantum itaque senserunt Evangelici, & Apostolici viri universa, quæ bona sunt, auxilio Domini consumari, ut ne ipsam quidem fidem suam confisi sint illam se posse suis viribus, vel arbitrii libertate servare, ut hanc vel adjuvari in se, vel donari sibi à Domino postularent: ita disjunctim loquitur, quasi non semper fides à Deo donetur, sed quandoque in nobis per nos exorta à Deo confortanda sit. Rursus cap. 19. ait: *Quòd divina sit gratiæ præstare nobis proventus secundos, atque victoriam, nostrum verò esse, ut concessa Dei beneficia vel intentius, vel segnius exequamur: Quibus majorem operis perfectionem in liberi arbitrii sub priori gratiâ conatum refundit; sed postea pejùs loquitur, nam illud multi Theologorum tuerentur: *Quam rationem, ait, etiam illorum cæcorum curatione satis evidentè videmus expressum; Quod enim transit antè eos Jesus, divinæ providentiæ, & dignationis est gratia; Quod vociferantur, & dicunt: Misere nostri Domine fili David, fidei ipsorum, & credulitatis est opus.****

Mast. 5.

Hæc quidem Cassianus scripserat Helladio nondum Episcopo, postea verò in Collat. 13. animosior factus non jam tiubenter, sed aperte, atque audacter liberi arbitrii vires plus justo contra Dei gratiam

evexit, nam sinè Dei gratiâ docuit, posse nos habere scientiam boni cap. 12. ubi & gratiam quandoque prævenire liberum arbitrium, quandoque ab isto præveniri tradit: Dicit Deum Salvatorem, cum prævenit, susceptorem, cum prævenitur cap. 17. Postea homines suis viribus habere fidem cap. 14. Spem, & desiderium boni cap. 9. Orare Deum cap. 12. Tentationes vel gravissimas, quales Job passus est, sinè gratiâ posse superari cap. 14. Ne tamen Pelagianam sententiam tenere putaretur, ea bona opera à libero arbitrio inchoari tantum, at sinè Dei gratiâ perfici nullo modo posse dicebat; hæc habet cap. 8. *Qui cum in nobis ortum quandam bonæ voluntatis insperaverit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu videtur emeruisse, & cap. 9. in fine: *Ut autem evidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indulum est, non tantum bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.**

Rom. 7.

Tandem invidiosè iterum perstringens Augustinum, uti in libro 12. de Institutis Monachorum dudum fecerat, concludit cap. 18. *Ægyptios Monachos ad Dei gratiam cognoscendam optimos Magistros esse, quos asserit perfectionem cordis non loquacibus verbis, non inani disputatione, sed re, atque opere divini esse muneris didicisse; nisi velimus eos potius à Cassiano intelligi, qui in Galliâ acriùs de gratiâ, & libero arbitrio disputabant, sed Semipelagianismi Magistrum Augustino minùs detulisse certò scio. Cæterum de divinâ prædestinatione haud fermonem fecit Cassianus, quòd fortè dum illa perscribebat, nondum Augustiniani Libri de Corrupt. & Gratiâ, neque Epistola ad Sixtum, vel ad Paulinum in Gallias delatæ fuerant, quas postea Massilienses impugnavisse testis est Sanctus Pater Lib. de Dono pers. c. 21.*

Has collationes septem non fuisse editas post annum 426. si non eodem ipso anno emissæ sunt, pro certo habeo; nam Honoratus Abbas Lerinenfis circà finem ejus anni in occisi Patrocli locum subrogatus Arelatensem Ecclesiam moderandam suscepit; Patroclum verò occisum anno 426. testatur Prosper in Chronico; at cum eas Collationes scripsit Cassianus, Honoratus nondum erat Episcopus, ut ex præfatione patet: *Tamen vos, inquit, à Sancti Fratres Honorate, & Eucherii.* Reliquas autem collationes septem, quas Monachis in Stœchadibus degentibus inscripsit, cum hæc ad Lerinenfes emisit, jam in manibus habebat, earum enim mentionem facit in fine præfationis ad Honoratum: *Si verò sanctam studii vestri sitim etiam hæc satiare non qui verint, septem aliæ collationes, quæ ad Sanctos, qui in Stœchadibus consistunt insulis, emittendæ sunt, fratres, desiderium, ut arbitror vestri ardoris explebunt.* Has autem editas citrà annum 429. certum est, nam in præfatione meminit Honorati Episcopi adhuc superstitis, qui initio ferè illius anni defunctus est. Ex his colligitur, neque Prosperum Tyronem, neque Vossium exactam notitiam habuisse, quo tempore collationes publicatæ fuerint, dum ille anno 429. vulgatas scribit; etenim non uno simul tempore emissæ sunt, cum decem priores, itemque septem sequentes antè 426. elucubræte fuerint; Undè cæteris longiùs à veritate Jansenius aberravit, dum post mortem Sancti Augustini collationes editas scribit eo ductus argumento, quòd Prosper in Epistola ad Rufinum hæc Cassianum, so-

cioque

ciisque perstringit: *Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impii sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesiâ non repellant? Tam insani prædicationibus non resistant? nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina, conveniant? Magnâ enim gloriâ suâ humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint; ex quibus vivente Augustino nihil à Cassiano scripti emissum Iprensis contendit. Vossius etiam putavit in lib. de Hist. Latinis editas à Cassiano collationes anno 432. Sed planè uterque rejicitur ipsomet teste Cassiano, qui in præfatione librorum de Incarnatione contra Nestorium editorum anno 430. ait: *Absolutis dudum Collationum spiritualium libellis sensu magis, quàm sermone insignibus, &c.* Ut interim fileam antè Sanctum Augustinum Honoratum decessisse, cui septem collationes, & præcipuè decimam tertiam, quâ Augustini doctrina pulsatur, Cassianus dicavit. Verborum verò Prosperi non is sensus est, qualem ille scriptor autumavit, sed dolere se dixit Prosper, quòd Cassianus illis de rebus ad Augustinum non perferberet eorum, quæ in dubium vocabat, comprobationem intellecturus, sed eidem occultis susurrationibus obloqueretur. Cæterum paulò post apertè collationes Cassiani nominat, ut mirum sit, Jansenium ex illâ Epistolâ in eam sententiam adductum, scribit enim: *Molestè ferunt, quòd his, quæ adversum excellentissimæ auctoritatis Verum inter multas Collationes asseruere, resistimus.**

CAPUT II.

Lerinenfes Monachi Cassiano contra Sanctum Augustinum adhaerent. De Hilario Episcopo Arelatenfis id præsertim contra vulgarem sententiam evidenter ostenditur.

EX dictis jam tandem patet, undè nam Semipelagianismus in Lerinam navigarit, nempe cum Cassiani collationibus Honorato Lerinensium Monasteriarchæ, atque Eucherio Monacho nuncupatis. Vignierius in præfatione ad opus imperfectum Sancti Augustini contra Julianum putavit, Faustum Lerinensium Abbatem ex Juliano ejusdem, quem eò appulisse scribit, sermonibus contrarias Augustino opiniones defendendas suscepisse; at ex iis, quæ narraturi sumus, germana ejus apud Lerinam morbi origo innotescet. Anno 428. florebant in insulâ, uti diximus, Honorati discipuli Maximus Abbas, Hilarius Arelatenfis, Faustus postea Rejorum Antistes, Lupus Trecentis cum Vincentio fratre, quem auctorem commonitorii vulgò faciunt, illisque proximus Eucherius Lugdunensis, quo impellente Cassianus collationem memoratam decimam tertiam, aliaque sex insuper procuderat; qui verò ex iis in Cassiani partes transferint, paucis ostendam. Et quidè cum nulla Honorati, nec Maximi, nec Lupi scripta extant, nil finiftri de illis suspicari fas sit; turpe enim est Sanctos illos viros, quorum errata nullo certo testimonio constant, in depravatæ sententiæ suspicionem vocare; utinam & de reliquis syncellitibus tam sanctè judicare possimus, sed illis nulla per nos injuria importabitur, ita enim tunc illis sentire licuit, quando res quæstionis erat, non dogmatis, atque exceptâ illâ Augustini sententiâ de prædestinatione gratuita ad fidem, à quâ prorsus abhorrebant, in aliis adversus Pelagianos cum eodem S. Doctore conveniebant.

Faustum, qui anno 433. Lerinensium Abbas renunciatus fuit, ut inferius nobis describetur, fuisse

post Cassianum Semipelagianorum Coriphæum nulli dubium est; extant enim de gratiâ, & libero arbitrio duo ab eodem scripta volumina, in quibus Cassiani errores apparent; undè & ejusdem libri in Romanâ Synodo à Sancto Gelasio Augustinianæ doctrinæ tenacissimo rejecti sunt, eisdem etiam impugnavit Sanctus Fulgentius noster Ruspensis, aliique ut fufius ex dicendis constabit. Hæc de Fausto Monachorum Scytharum ad Sanctum Hormisdam Papam Oratores scripsere ad Sanctos Episcopos Africanos, quorum Princeps laudatus Fulgentius erat: *Libros Faustii Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lerinensi proventus est, contra prædestinationis sententiam scriptos esse, non dubium est: Lib. de Incar. & Grat. cap. 8.* Sed & Vincentium Lerinensem Cassiano, atque Abbati suo Fausto mordicè contra Augustinum adhæsisse cap. 10. apertè ostendam, idque non utcumque probabilibus conjecturis evincam, sed ex illo ipso commonitorio, ut mirari fati non desinam, viros eruditos, qui laudatum volumen notis illustrarunt, eos in illo nævos non adnotasse.

Porrò cæteris Lerinensibus Hilarius Arelatenfis, & literarum, & sanctitatis gloriâ superior non modò cum memoratis concellit Cassiani sententias defendavit, verum etiam anno 429. ad Arelatensem cathedram promotus præcipuus inter illos habebatur, qui à Sancto Augustino in quæstione de prædestinatione discedentes Cassiani partes fovebant. Video hæc in re mihi esse luctandum cum Augustiniani nostri instituti viris doctissimis, eruditissimisque, qui duce nunquam satis laudato Ecclesiasticorum annalium Scriptore ad annum 426. Hilarium Arelatensem Sancti Augustini discipulum, illiusque adversus Semipelagianos propugnatorem strenuissimum publicarunt; & ita planè de Hilario post Baronium sensere Marquez, Herrera, Crusenius, meique amantissimus, ac de Augustinianâ Republicâ benemeritus Aloyfius Torellus, quorum sententiam adeò evidenter refellam, ut minimè dubitem, nostros homines à vulgari, ac inveteratâ illâ opinione jam tandem discessuros. Sanctus Prosper datâ ad Augustinum Epistolâ omnium, quæ à Cassiano, ac sectatoribus contra ejusdem de prædestinatione gratuita sententiam in Galliis disputabantur, certiore faciens, ut editis libris adversantium impetum retunderet, eundem rogavit, addiditque hæc ipsa: *Speramus non solum remittentem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis, atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos; Nam UNUM eorum præcipuè auctoritatis, & spiritualium studiorum virum Sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in ALIIS omnibus tuæ esse doctrinæ, & de HOC, QUOD IN QUERELAM TRAHIT, jam pridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre. Sed qui a utrum hoc facturum, aut quo sine sit facturum, incertum est &c.* Clarius ne à Prospero poterat Hilarius Arelatenfis inter Semipelagianos connumerari? Tradit, insignem hunc Arelatensem Episcopum esse UNUM eorum, nempe Semipelagianorum, quos eâ in Epistolâ describit, qui gratuitam prædestinationem ad initium fidei ab Augustino assertam IN QUÆSTIONEM TRAHEBAT. Alter etiam Hilarius Augustini discipulus, & Monachus Augustinianus, qui tunc in Galliis unâ cum Prospero contra Cassianum, & assecclas acerrimè pro Magistri doctrinâ depugnabat, literas de eorundem Semipelagianorum opinionibus unâ

H cum

cum laudatâ Prosperi Epistolâ ad Sanctum Doctorem perferendas scripsit, in quibus de Hilario Arelateni planè Prosperi dictis conformia narrat: *Sed planè, inquit, illud tacere non debeo, quòd se dicant tuam Sanctitatem hoc excepto in factis, ac dictis omnibus admirari.* De Hilario Episcopo dicit Prosper in Epistolâ ad Augustinum: *admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit &c.* At Sanctus Augustinus utriusque literis duos libros reposuit de Prædestinatione Sanctorum, ac de Dono perseverantiæ inscriptos, in huius verò posterioris cap. 21. de Hilario Arelateni hæc illis rescripsit: *Videant tamen ii, nempe Hilarius, sociique, quibus amantibus me ingratus esse non debeo, qui PRÆTER HOC (depravatè enim in editis libris propter hoc legitur) quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei Episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei; Et utrum ex iis, quæ ibi dicta sunt, non consequenter cluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiæ non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum, & gloriam, & postea: Undè recolant adversus hæresim Pelagianam jam ante aliquot annos ista dicta esse, atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est.* Ergo teste Sancto Augustino Hilarius Episcopus Arelatenis in quæstione de initio fidei, ac Dono perseverantiæ ab eisdem sententiâ abhorrebat, at PRÆTER HOC omnia Sancti Doctoris dicta se profitebatur amplecti, quod tamen illi posse displicere Augustinus mirabatur. Ex his palam fit, Sanctum Hilarium Lerinensem Monachum, dein celeberrimum Galliarum Episcopum cum Casiano contrâ Augustinum eâ in quæstione conspirasse.

Baronius ad annum 426. laudatâ Prosperi Epistolâ textum emendat, atque ab Hilario Episcopatum removet, scribens id ex margine, ubi Hilarius Episcopus designabatur, in codicem irrepsisse; putat enim eas Prosperi literas datas anno 426. quo tempore Honoratus erat Episcopus Arelatenis, quem etiam diu superstitem facit sub Cœlestino, & Sixto III. Pontificibus. Vossius huic ipsi fundamento innixus codicem corrigendum putat, in locum Hilarii Honorato substituto. Hic quidem Hilarium Arelatensem; uti Semipelagianum à Prospero notari animadvertit, sed cum arbitraretur loqui Prosperum de Episcopis, quos meritis, & honoribus claros affirmavit, ea de Honorato intelligenda esse existimavit Hilario etiamnum Lerinam incolente.

Sed isti Scriptores in eo decepti sunt, quòd duos Hilarios in unum, eundemque confuderint, cum tamen Hilarius, qui de Semipelagianis ad Augustinum scribit, longè diversus ab Hilario Arelateni Episcopo sit, ut olim præmonuit Bellarminus in Catalogo Scriptorum V. *Hilarius.* Etenim Hilarius Arelatenis sententiâ Sancti Augustini in quæstionem traherat, alter verò hæc ad Sanctum Patrem scribit: *Nolo autem Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de his, quæ nunc edidisti, ego dubitem.* Hilarius Arelatenis nunquam vixit in Africâ, sed juvenis Arelatè à Sancto Honorato Abbate ad meliorem frugem revocatus fuit; alter autem testatur, se in Africâ fuisse Augustini discipulum: at de his iterum sermo redibit. Præterea Hilarius, qui ad Augustinum scribit,

Prosperum rogavit, ut longioribus literis Semipelagianorum querelas ad Augustinum deferret: *Egi, inquit, cum viro tum moribus, tum eloquio, & studio claro, ut quanta posset collecta suis literis inimitaret, quas conjunctas his destinare curavi.* De Episcopo verò Arelateni ait Prosper: *Jam pridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre; sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est &c.* quæ de Hilario in defendendo Augustino collegâ, cujus instantiâ literas exaratas unâ cum illius Epistolâ in Africam deferendas sciebat, nullo pacto intelligi possunt.

Sed omne dubium absolvemus, si quo anno Hilarius Arelatenis Episcopus factus sit, ostendamus. Bollandus ad diem 16. Januarii non constare ait, quot annis federit Honoratus Arelatè, undè & initia dignitatis Hilarii successoris eidem incerta sunt; Baronius in Martyrologii notis ad eandem 16. Januarii scribit, vixisse Honoratum sub Sixto qui anno 432. Pontificatum inivit, cujus sententiâ Vossius accedit lib. 6. Hist. Pelag. thesi 14. Sed mihi res certa est. Honoratum anno 426. exeunte Episcopum habemus ex Chronico Prosperi, quod Auctores illi probè affirmant, quem tamen parvo tempore sacris Arelatenibus præfuisse tradit ejusdem successor Hilarius in Oratione de Sancto Honorato cap. 6. apud Bollandum: *In summâ ex illo brevi, quo vobis indultus est tempore facillè metiri datur &c.* Hocce verò breve tempus biennii spatium circumseribitur ab Honorato Episcopo Massiliensi in Vita Hilarii Arelatenis apud Surium die 5. Maii cap. 3. *Emenso, inquit, biennio cum ad meriti proprii percipiendum ex merito præmium ex vitâ istius cursu Beatus Pontifex vocaretur Honoratus, missis Epistolis, ut extremis suis interesse deberet, admonuit, nempe Hilarium. Itaque anno 429. die 16. Januarii, quâ die ab Ecclesiâ Honorati memoria recolitur, obiit idem Episcopus emenso biennio, ex quo circâ finem anni 426. in occisi Patrocli locum subrogatus fuerat. At verò Honorato statim à populo substitutus est Hilarius, qui illuc evocatus fuerat ab eodem, quò morienti adestet. Habemus aliud pro hoc ipso confirmando testimonium. Sanctus Germanus Antiodorensis Episcopus cum anno 429. ut scribit Baronius, verius anno 430. ut dicemus, ex legatione Britannicâ in suam Urbem rediisset, statim ob cives gravissimorum tributorum onere sublevandos Arelatè ad Auxiliarem Præfectum Prætorio Galliarum se contulit, ita Constantius lib. 1. cap. 29. apud Surium die 30. Julii: *Et pro quiete, inquit, vel requie quæsturus remedia civitati post marina discrimina labores terrenæ expeditionis ingreditur.* At idem Auctor cap. 23. scribit eo tempore Hilarium fuisse Episcopum Arelatensem; *Illustratur eo tempore civitas Hilario sacerdote multimodâ virtute pretioso.* Quare anno 430. Hilarius erat Episcopus. At id temporis alter Hilarius, qui auctor est Epistolæ ad Augustinum, erat laicus, ut patet ex literis Sancti Cœlestini ad Episcopos Galliæ, ubi etiam cap. 1. postponitur Hilarius Prosperi, quas literas datas esse post annum 430. certum est, nam defuncto Augustino emissæ sunt. Cum verò Prosper vocet Hilarium Episcopum, eodem tempore Hilarius alter non modò se Laicum testatur, sed etiam alterum Hilarium Episcopum hæc describit in Epistolâ ad Augustinum: *Sunt ex parte tales Personæ, ut his consuetudine Ecclesiasticâ Laicos summam reverentiam necesse sit exhibere; Quod quidem ita curavimus Deo jurante servare, ut cum opus fuit, non taceremus, quæ ad quæstionis hujus assertionem exi-**

guitas

guitas nostrarum vivium suggererat. Sed de his jam fatis.

Baronius Hilarii dignitatem ex literis Prosperi abrafis ex pravâ verborum Eucherii intelligentiâ; hic enim in Epistolâ paræneticâ ad Valerianum recitatis plurimorum exemplis, qui divitiis, ac supremarum dignitatum titulis dimissis sacris se se addixerant, *Hilarius*, inquit, *nuper*, & *in Italiâ nunc Antistes Petronius* ambo ex illâ plenissimâ, ut ajunt, mundanæ potestatis sede unus in religionis, alter in sacerdotii nomen ascendit, addit hoc scholion Annalium scriptor: *Hæc Eucherius cum creatus est Petronius Episcopus Bononiensis perseverante Hilario in vitâ Monasticâ*: Ad annum 426. num. 22. At Petronius electus est Episcopus Bononiensis anno 430. ut tradit Sigonius magni nominis scriptor in historiâ Bononiensi. Verum quis non videat oppositum, & quidem apertè colligi ex Eucherii verbis, etenim *nuper* refertur ad *nunc*, quasi diceret, *Hilarius nuper Episcopus in Galliâ*, & nunc Petronius in Italiâ, aliâs sensus, ac proprietatis dictionis omninò corruptitur. Quare cum Petronius anno 430. Episcopus renunciatus fuerit, anno 429. idem Hilarius Antistes dictus est.

Sed quid de meis Augustiniani dicam? Etenim Marquez, Herrera, Crusenius, Staibanus cæterique, quos novissimè Aloysius Torellus in sæculis Augustiniani ad annum 400. & seq. secutus est, cum in Epistolâ Hilarii ad Augustinum legerent: *Sufficiat mihi pena mea, quod à presentie tuæ deliciis exulatus, ubi salubribus tuis uberibus nutrebar, non solum absentia tuâ crucior, &c.* queis se Augustini discipulum in Africâ fuisse significat, Augustinianum illum Monachum arguentes, nec ab altero Hilario distinguentes, eundem Arelatensem Archiepiscopum faciunt: imò Torellus cæteris animosior Augustini regulam Lerinensi Monasterio ab eodem Hilario ex Africâ invectam ad annum quadringentesimum imaginatur Tomo I. sæcul. Augustinien. anno eodem. Verum isthæc à nemine admitti possunt. Hilarius Arelatenfis Episcopus nunquam fuit in Africâ, neque ab Augustino Monasticam vestem accepit; id enim minimè tacuisset Sanctus Honoratus Episcopus Massiliensis, qui Hilarii vitam diligentissimè descripsit, quem quidem Hilarii *meritorem* vocat Gennadius cap. 99. de Illustr. Scriptoribus. Hilarius ipse in oratione de laudibus Sancti Honorati ad Arelatenfes recitatâ testatur, se deliciis terrenis immersum ad Monasticam vitam peragendam ab Honorato Abbate persuasum. *Venit*, inquit, *meque in illis jam amissis nimis amicum seculo, & contumacem Deo ut seductor, & verax ad amorem Christi blandâ manu tentat.* Illud verò de illatâ Galliis ab Hilario anno 400. Augustini regulâ falsum est: eo anno exeunte, aut insequenti Hilarius natus erat; nam quadragesimo octavo ætatis anno eundem obiisse scribit Sanctus Honoratus, mortuum autem anno 449. ex Sancti Leonis Papæ Epistolâ inferius cap. 12. dicemus. Hinc cadunt conjecturæ illæ, quibus nostri moti sunt ad Hilarii Augustinianum Monachatum asserendum, quod unâ cum Prospero strenuissimus fuerit Augustiniana doctrinæ defensor, nam teste Prospero unus eorum fuit, qui Augustini de prædestinatione doctrinam in questionem traheret.

Cum Hilario adversus Sancti Augustini doctrinam sensere ejusdem concellitæ Faustus, & Vincentius Monachi, ut indicavimus; Hilarii verò amicissimus Eucherius, cujus præsertim precibus Cassianus collationem XIII. exaravit, à Sancti Augustini de prædestinatione gratuitâ sententiâ non recessit, ut cap. 12. dicitur.

Lerineses Monachi fuerint ne Augustiniani? Illorum initia eâ occasione indagata, ac de variis Monasteriorum Gallia regulis usque ad Pontificatum Sancti Gregorii Magni plura adnotata. Agaunenses, itemque Furenses in Galliâ Monachos Augustinianos fuisse ex eorundem Regulâ demonstratur.

Intelligo, Augustinianos nostros Lerinense Monasterium sub Augustini regulam antiquitè adactum asserere, existimantes, unicam S. Patris regulam in Occidente usque ad S. Benedicti tempora viguisse, imò eosdem Lerineses ab Hilario Arelatenfi Augustini discipulo ad ejusdem doctrinam toto conatu defendendam ardentius inflammatos. Hinc Augustinus Lubin Galliarum Regis Chorographus, qui sacros Martyrologii Romani fastos geographicis tabulis summâ cum laude nuper illustravit, hæc scribit: *Lerineses Acetæ se Sancti Augustini discipulos dicebant, an doctrinâ? an vitâ instituto? an utroque? At postremum approbat; quæ sanè sententia modò mihi excutienda est; Cum verò videam, celeberrimi illius monasterii initia ab aliis minus rectè statui, hæc quoque nobis indaganda sunt; Et quidem hoc secundum prius expediendum videtur.*

Scriptores plerique Baronii, ac Barralis chronologiam secuti circâ annum 375. Lerinensis cœnobii initia locant, quod probari nullâ ratione nobis potest. Certum est eo tempore, quo S. Honoratus cum sene Caprasio Lerinam primùm ingressus est, sedisse apud Foro-Julium Leontium Episcopum; etenim ob id præsertim Honoratus Lerinam elegit, ut Leontio de proximo frueretur. Do verba Hilarii Arelatenfis Antistitis, atque Honorati discipuli cap. 12. de Vitâ S. Honorati: *Vacantem itaque insulam obnimitatem squallovis, & incessam venenatorum animalium metu alpino baud longè jugo subditam petiit propter secreti opportunitatem, sancti, & beatissimi in Christo viri Leontii Episcopi oblectatus viciniâ, & charitate confrictus.* Habuit tunc Honoratus comitem, imò magistrum S. Caprasium, quo etiam socio usus est, dum in Peloponnesum transfretarat, hæc eodem Hilario cap. 2. scribente: *Ne quid tamen juvenili ausu temerè ab ipsis inceptum putaretur, assumunt, nempe Honoratus, ejusque frater Venantius, senem perfectæ, consumatæque gravitatis, quem semper in Christo Patrem computantes Patrem nominarunt, sanctum Caprasium Angelicâ adhuc in terris conversatione degentem.* Erat ergo tunc Caprasius, cum in Græciam navigarunt, ferè sexagenarius. At Caprasium diem obiisse inter annum 445. & 449. certum est; Nam morienti Caprasio Kal. Junii adfuerit Hilarius Arelatenfis, Theodorus Foro-Julienfis, ac Maximus Rejenfis. Hæc testatur S. Honoratus Massiliensis in Vitâ S. Hilarii cap. 5. apud Surium die 5. Maii: *Cum Caprasium infirmitate fatigari corporeâ certis nunciis comperisset, ad ejus occursum celeri se festinatione proripuit &c.* In eodem loco tunc temporis S. Faustum Presbyterum & Abbatem ita futurorum præsciis honoravit, ut inter se, & sanctos sacerdotes Theodorum, & Maximum medium compelleret resicere. At cum Hilarius obierit anno 449. die 5. Maii, ut ex Tirone Prospero, & S. Leonis literis ad Ravennium cap. 12. dicemus, citrà illum annum Caprasii mors retrahenda est. Rursus anno 445. nondum apud Foro-Julium sedebat Theodorus, sed hujus decessor Leontius, nam eo anno

Sanctus Leo Papa Leontium nobili privilegio ornandum duxit Epist. 87. ad Episcopos provinciæ Viennensis: *Quoniam, inquit, honoranda est semper antiquitas, fratrem, & Coepiscopum nostrum Leontium probabilem Sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterum provincia non indicatur à vestra Sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas ejus, & probitas exigit, honoretur.* Has verò literas datas esse anno 445. ex literis Valentiniani Imperatoris optimè ostendit Cardinalis Baronius. Quare Caprasius obiit post annum 445. ad defuncti Leontii sedem Theodoro promotus; Quare si anno 375. ad minus sexagesimum ætatis annum agebat, quando eum Honorato Lerinam petiit, vixisset ultra annos centum, & triginta, & Leontius post Lerinensis cœnobii constructionem suprâ annos LXX. in Episcopatu superstes fuisset, quæ finè teste affirmare non possumus.

Extat apud Sirmondum tomo 1. Concil. Galliæ & tomo 4. Concil. Edit. regiæ pag. 667. Epistola de Leporii conversione scripta à Sancto Augustino, ac collegis ex Africâ ad Episcopos Galliæ Proculum Massiliensem, & Cylinnium Foro-Juliensem cum hac epigraphe: *Dilectissimis, & Honorabilibus Fratribus, & Consacerdotibus Proculo, & Cylinnio Aurelius, Augustinus, Florentius, & Secundinus in Domino Salutem.* Fuit Cylinnius Leontii in Foro-Julienfi cathedrâ decessor, ut patet ex eruditis tabulis Sammartianorum. Deniquè inventus est libellus Leporii, quem tomo 38. Concil. Edit. Regiæ pag. 16. editum habemus, in quo leguntur subscripti post Aurelium, & Augustinum: *Florentius Episcopus Hipponensium Diarrhytorum, itemque Secundus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, sive Magarmitanæ.* Florentius anno 401. ejecto Equitio homine facinoroso electus fuit Episcopus; etenim in Synodo Carthagenensi Vincentio, & Flavità Consl. anno 401. Idibus Septembris celebratâ, hæc leguntur: *Rursum placuit, ut quoniam Hipponensium Diarrhytorum Ecclesiæ deficitio non est diutius negligenda &c. cum omnium voto eis ordinetur Episcopus.* Cap. 45. Cod. Africani Tomo 4. Concil. Edit. Regiæ pag. 538. Electum verò fuisse Florentium liquet ex laudatâ epigraphe, & ex collatione Carthagenensi primæ diei cap. 139. ubi inter septem consiliarios Catholicorum contra Donatistas nominatus fuit: *Florentius* (non Florentinus, ut ex cap. 55. & 2. Collat. 2. patet) *Episcopus Ecclesiæ Catholicae Hippenfis Zaritonensis.* Eadem urbs in Provinciâ Proconsulari dicebatur Hippo Diarrhytus, & Hippo Zarytus, ut ab altero Hippone regio Numidiæ distingueretur. In itinerario Antonini ponitur *Hippo Zarytus* distans ab altero Hippone, ubi Augustinus sedebat, M-P. CLXII. Plinius lib. 5. c. 4. scribit: *Diarrythum à Græcis dictum propter aquarum irrigua;* & Solinus cap. 40. Polyhistoris ait: *Hippone alterum de interfluente freto Diarrytho nuncupatum;* idem habet Pomponius Mela lib. 1. cap. 7. Notarunt viri eruditi, promiscuè syllabam *Di* in *Za* ab antiquis mutatam: ita Patres Zabulum pro Diabolo scripsere; ita pro diætâ leges apud Plinium lib. 2. Epist. 17. Zeta, unde Zetarii apud Paull. lib. 3. sent. tit. 6. iidem, qui diætarii. Hinc memoratæ Urbis Episcopus diversimodè scriptus reperitur. Apud Sanctum Augustinum lib. 6. de Baptismo c. 3. in Synodo Sancti Cypriani nominatur: *Petrus Martyr ab Hippone Zarito* Edit. Basil. anni 1542. In notitiâ Episcoporum Africae inter Patres Proconsularis Provinciæ recensetur: *Marianus Hippozaritenfis;* in Synodo Lateranensi Martino I. Ponti-

fice consultat. 2. inter Episcopos, qui à Carthagenensi provinciâ Synodum habuerant, legitur: *Donatus Episcopus S. E. Ippozaritenfis;* & in collatione laudatâ dicitur: *Hippenfis Zaritonensis:* Hæc adnotavi, ne quis duos Florentios poneret, quorum unus esset Episcopus Hipponi Diarrhytorum, alter Hippenfis Zaritonensis. In memoratâ etiam collatione anni 411. laudatur cap. 190. *Secundus Episcopus plebis Magarmalitenfis.* Uterque autem, nempe Florentius Hipponis Diarrhytorum, & Secundus nominati fuere iudices anno 407. in causâ Maurentii Tubursicensis ex c. 67. ejusdem codicis. Insequenti verò anno Florentius designatus fuit Legatus ad Honorium contra Paganos, & Hæreticos Coss. Basso, & Philippo; & rursus anno 410. post consulatum Honorii VIII. & Theodosii II. ex laudato codice. Ex his patet Cylinnium Foro-Juliensem vixisse post annum 401. cum ad eundem Florentius Episcopus Hipponis Diarrhytorum, qui eo tantum anno sedere cepit, literas miserit. Undè colligimus Lerinensium cellulas, quæ sedente apud Foro-Julium Leontio Cylinnii successore ab Honorato primitus extructæ sunt, antè annum 402. non extitisse.

Rursus etiam post annum 405. Lerinense cœnobium extructum fuisse altero argumento evincam. Cassianus scribit Leporium, de cujus conversione Africani Patres ad Galliæ Episcopos scripsere, abs se in Galliis erroris admonitum fuisse; audiatur lib. 1. de Incarnat. cap. 4. *Leporius tunc Monachus, modò Presbyter, apud Galliis asertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus &c.* At Cassianus post annum tantum 405. in Galliis venire potuit, Constantino-poli enim Diaconus degebat, cum Chrysofomus in exilium iterum missus fuit, pro quo legationem etiam obivisse cap. 1. dictum est. Itaque si Leporius in Galliis à Cassiano admonitus in Africam fecerit, ibique Sancti Augustini operâ, ut scribit Gennadius cap. 59. correctus fuit, & hoc ipsum Augustinus per literas à Sirmondo editas Sancto Cylinnio Foro-Julienfi significavit, nondum anno 405. Foro-Juliensem Ecclesiam Leontius regebat, & ex consequenti Honoratus Lerinensis cœnobii fundamenta nondum eo anno posuerat. Quare in re incertâ memorati monasterii initia post annum 405. & antè annum 410. asseri possunt, nam eo pacto Leontius anno 445. propè quadraginta in Episcopatu annos exegit, undè ut cæteris seniori laudatum privilegium à Leone Magno conferri potuit, præsertim cum anno eodem 410. federent in Africa Florentius Hippenfis, & Secundus Magarmalitenfis. Non ergo anno 375. sed propè annum 410. Lerinense Monasterium conditum fuit.

Hac ergo Lerinensi chronologiâ præmissâ, de illorum Monachorum regulâ dicendum est. Constans est Scriptorum sententia Monachismum ex nostrâ Italiâ in Gallias derivasse. Et quidè auctore Athanasio Alexandrino, & Eusebio Vercellense Monastica disciplina ex Ægypto, & Syriâ in Italiam venit. Scribit Hieronymus de Sanctâ Marcellâ Epist. 16. ad Principiam: *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere.* Marcella ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papæque Athanasio, & postea Petro, qui persecuti onem Arianæ hæreseos declinantes quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachonii, & virginum, & viduarum didicit disciplinam &c. De Eusebio

id ipsum testatur Sanctus Ambrosius Epist. 82. Sanctus Martinus in Italiâ Monachum induit teste Sulpitio lib. 1. cap. 4. *Cum Gallias quoque, inquit, discessu Sancti Hilarii, quem ad exilium hereticorum vis coegerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit.* Hoc est celebre illud cœnobium, quod se Mediolani vidisse testatus est Sanctus Augustinus in lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 33. & lib. 8. Confess. cap. 6. *Et erat, inquit, monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extrâ urbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Martinus durante Hilarii exilio sanctissimam ibidem vitam degit, cum verò accepisset, Hilario Regis penitentiâ, ait Sulpitius, *potestatem indultam fuisse redeundi, Roma ei venturum occurrere, profectusque est ad Urbem, cum jam Hilarius præterisset; ita est eum vestigiis prosequutus; eumque gratissimè ab eo esset susceptus, haud longè sibi ab oppido monasterium collocavit.* Primi ergo Pictaviensis hujus in Galliâ monasterii constructio contigit anno 361. Nam Constantius anno imperii ultimo Hilarium ab exilio revocavit, quo tempore Augustinus adhuc puer septimum ætatis annum agebat. Alterum postea cœnobium propè Turonem idem Martinus ejusdem urbis Episcopus erexit. Futere hæc duo Monasteria Sanctissimorum Episcoporum Seminaria, hæc enim oculatus testis Sulpitius scribit cap. 7. *Pluresque ex his postea Episcopi vidimus, quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio caperet Sacerdotem? Et hos quoque in suis diocesis cœnobis condidisse certum est, unde Martino auctore Monachismus latius per Gallias est propagatus.* Hinc Cassianus lib. 3. de Instit. cap. 4. *Galliæ Monasteria* laudat ex Sancti Martini certè Turonensis cœnobii derivata. Monasticum verò eorundem institutum paucis describit Sulpitius cap. 7. *Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere, non vendere, ut plerisque Monachis moris est, inquam, licebat. Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset, plerique camelorum fetis vestiebantur.* Hæc ille.

Verum post annum quadringentesimum Monachorum cætus veluti fecundissima apum examina passim totâ Galliâ excrevere. Etenim Cassianus apud Massiliam, Honoratus apud Lerinam, Castor Aptæ, Jovinianus, Theodorus, aliique in Stœcadibus nobilissima monasteria condiderunt. De Cassiano scribit Gennadius cap. 61. *Cassianus natione Scythæ &c. apud Massiliam Presbyter condidit duo, idest virorum, & mulierum monasteria, quæ usque hodie extant.* In Chronico Massiliensi Sancti Victoris legimus fuisse in monasterio Cassiani usque ad quinque millia Monachorum apud Guesnay antè cap. 46. cujus dicti fides sit penès auctorem. De cœnobio Aptensi scribit Cassianus in præfatione ad Castorem, idemque de Monachis Stœcades inhabitantibus hæc habet in præfatione Collat. 18. *Non solum Occiduas regiones, verum etiam insulas maximis fratrum catervis fecistis florere.* Cæteris tamen monasteriis anteibat Lerinense cœnobium omnium illius sæculi scriptorum encomiis celebratum. De Lerinâ in proximâ insulâ degens Eucherius scribebat in Epistola ad Hilarium: *Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt. Quos ego illic, Jesu bone, sanctorum cætus, conventusque vidi?* De eadem scribit Sanctus Cæsarius Arelatensis: *Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes provincias erogat Sacerdotes. Vix enim reperire erat,*

qui his temporibus assumptus in regionibus illis ad regimen Ecclesiarum non delectus esset ex nobilissimo, & regularis institutionis observantissimo cœnobio Lerinensi. Et hæc quidem fuere primæ Monachorum coloniæ antè vigesimum quinti sæculi annum in Galliis fundatæ, quæ postea latius deductæ sunt, quo tempore etiam per universam Africam Augustino auctore Monachismus propagatus fuit.

Plerique, & quidem aliàs nobiles hujus sæculi Scriptores unam tantummodò monasticam antè Sancti Benedicti tempora regulam in Occidente viguisse arbitrati, universa Galliæ cœnobis iisdem omnino legibus paruisse publicarunt. Joannes Marquez insignis Salmanticensium Theologus, & in profanâ, ac sacrâ historiâ summâ cum laude versatus, ne aliarum familiarum scriptoribus eo in campo cedere videretur, antiquissima quæque Galliarum monasteria Augustinianæ Republicæ adscriptit, quem secuti Crusenius in suo Monastico, Herrera in Alphabeto Augustinensi, sed cæteris animosius amicissimus P. Aloysius Torellus Sacræ Theologiæ Doctor, summusque per universam Italiam divini verbi declamator nobilissima Galliæ cœnobis sub D. Patris Augustini regulam adigunt, ac universos illius regionis Monachos seu doctrinæ, seu sanctitatis famâ illustres volentes, nolentes Augustinianâ togâ obvolvunt, & hos inter Lerinenses præsertim nostræ genti asserunt. Horum mihi sententia paucis examinanda est; video enim laudatos scriptores partium studio plus justo rem promovisse; neque enim adeo exilis est Augustiniana Respublica, quæ jam faventibus Superis per universum Orbem colonias deduxit, ut Gallianorum monasteriorum, si fas est ita loqui, rapinis augenda esse videatur. Ut plures fuere in Oriente Monachorum regulæ, nempe Antonii, Pachomii, Basilii, aliorumque ita nequæ una fuit Monachorum in Occidente regula, sed variæ, atque diversæ. Italiæ cœnobis, quæ apud Urbem, & Mediolani se vidisse Sanctus Augustinus scribit, itemque laudat à Hieronymo Epist. 30. ad Oceanum Volscorum, atque in Tusciæ insulis monasteria Sancti Athanasii instituta secuta esse non dubito. Hoc ipsum dicendum existimo de insigni monasterio nostræ provinciæ Aquilejensi, in quo Monachum circâ annum 370. se fuisse scribit Rufinus in priori investivâ, cujusque Monachos laudat in fine Chronici S. Hieronymus, diù enim Aquilejæ substitit Athanasius Alexandriâ Arianorum insidiis, ac furore ejectus; Impræsentiarum de regulis cœnobiorum Galliæ disserendum est. In primis monasteria S. Martini Augustinianæ regulæ parere non poterant; erat enim tunc Augustinus puer, ac ipse sub Grammaticorum regulas adactus Deum rogabat, *ne in scholâ vapularret.* 1. Confess. cap. 9. Cassianus nobile postea monasterium apud Massiliam construxit, qui cum Syrorum, atque Ægyptiorum Monachorum institutis à puero esset innutritus, iisdem non modò Massilienses Monachos, verum etiam Aptenses imbuit; etenim Sanctus Castor Aptæ Episcopus in suâ diocesi cœnobium juxtâ regulam Ægyptiorum instituire volens, regulam à Cassiano per literas petiit, impetravitque, quæ ex præfatione ad Castorem intelliguntur, ubi ait: *In provinciâ siquidem tuâ cœnobiorum ex parte Orientalium, maximèque Ægyptiorum volens instituta fundare, &c.* Vel ergo Castor Augustini regulam ignoravit, quod nondum Galliis post annum 410. innotuerat, vel illi Ægyptiorum regulam prætulit. Hoc constat, utrumque monasterium Massiliæ, atque Aptæ constructum Orientalium Patrum regulam secutum.

Lerinenfes deindè, ac Grinnicenfes familiæ Monachorum in Galliis apparuere. Priores quidè Monachos Sanctus Honoratus inftituit, tantæque & fanctitatis, & literarum gloriâ floruerunt, ut dubio procul cæteros religioforum hominum cœtus in Galliis superaverint. Grinnicenfes erant in dicecefi Vienneni, de quibus auctor Vitæ Sancti Clari Abbatis apud Bollandum die 1. Januarii fcribit cap. 2. *Grinnicenfium cœnobîa à Sanctis Pontificibus urbis fundata, in quorum maximo ofa beatiffimi Ferreoli Martyris condita venerabantur, additque Grinnicenfium loca quadringentos Monachos alebant.* Scribit Sanctus Avitus Vienneni Epift. 65. ad Maximum: *Monasteriis Grinnicenfibus occupatis aliquandiu jam habitaculo civitatis abfueram.* Porrò diverfa fuiſſe Lerinenſium, ac Grinnicenfium inftituta diſertè tradit Sidonius lib. 7. Epift. 17. ad Voluſianum fratrem: *Fluctuantemque, inquit, regulam fratrum deſitutorum ſecundum ſtatuta Lerinenſium Patrum, vel Grinnicenfium feſtinus informa.* Erant illi Monachi apud Arvernòs inftituti ab Abrahamo Monacho Orientali, quem Gregorius Turonenſis non uno loco laudat. Ergone & iſte Africanam Auguſtinenſium regulam ex remotis Orientis cœnobîis Arvernòs intulit? Et hujus quidè monaſterii regula à Lerinenſi, ac Grinnicenſi diverſa erat. Quæ verò fuerit Lerinenſium regula, cum illa non extet, vel ſaltem adhuc in angulis cum blattis luçtetur, incertum eſt. Illud tamen conſtat juxtà Orientalium Patrum ſtatuta conſcriptam fuiſſe, quod evidenter tradit auctor Vitæ Sancti Eugendi cap. 14. num. 14. apud eruditiffimum Bollandum die 1. Januarii (erat ille Agaunenſis inſtituti Monachus) *Sic namquè, ait, quòd non omnino illa, quæ quondam Sanctus, ac præcipuus Baſilius Cappadocia Urbis Antifteſ, vel ea, quæ Sanctiorum Lerinenſium Patres, Sanctus quoquè Pachomius Syrorum priſtus Abbas, ſivè illa, quæ recentior venerabilis Caſſianus edidit, faſtidioſa præſumptione calcemus, ſed ea quotidie lætitanter iſta pro qualitate loci, & inſtantiâ laboris invicta potius, quam Orientalium, perſicere aſſectamus, quia procul dubio efficacius hæc, facilis que natura, vel infirmitas exequitur Gallicana.* Vides Agaunenſium regulam mitiorem fuiſſe, ac Gallorum naturæ conformiorem, Lerinenſem verò cum Orientalibus regulis computatam; Et cum auctor Lerinenſium, ac Pachomii regulas recitans diſjunctione non utatur, ſuſpicari jure poſſumus eodem Lerinenſes Sancti Pachomii regulam majori ex parte ſecutos. Etenim cum Sanctus Hieronymus Pachomii regulam Latio donafſet, à plurimis in Occidente legi capta eſt, eam enim translationem ſe feciſſe Hieronymus teſtatur eſt, quòd plurimi Latinarum Ægyptiaci, ac Græci ſermonis ignari illius Cœnobiarchæ inſignium Tabennetiatarum Patris inſtituta cognoſcere deſiderabant. Nec alias ex ſua illâ peregrinatione regulas Lerinam ſecum ferre potuit Honoratus, qui Italiæ tantum cœnobîa luſtraverat, ut ex cap. 3. Vitæ ejuſdem habemus: *Hujus Italia benedicti gaudet introitu, hunc Tuſcia venerata complectitur, ac blandiſſimas per ſacerdotes ſuos moras necit.* Hinc Sanctus Benedictus Annianenſis Abbas in concordia regularum, cum ex regulis Orientalium Patrum, ac noſtrorum Tarnatenſium, itemque Caſarii, Aureliani, ac Columbanî regulis ſententias ad verbum exſcriptas recitaret, nuſquam Lerinenſem regulam laudavit, quòd certè feciſſet, ſi Sanctus Honoratus regulam ab Orientalibus ſtatutis diſtinctam ſuis Monachis præſcripiſſet. Lerinen-

ſes verò à Sancto Honorato regulam accepiſſe ex Synodo III. Arelatenſi colligitur, in qua lis inter Theodorum Forojulienſem, & Fauſtum Abbatem Lerinenſem compoſita fuit, ibi enim laudatur *Regula, quæ à fundatore ipſius monaſterii dudum conſtituta eſt.* Hinc verò palam fit, Lerinenſes Sancti Auguſtini regulam non ſecutos; nam Agaunenſes Monachi, ut mox probabo, Sancti Auguſtini regulam obſervabant, quam ab illâ Lerinenſium laudatus Monachus Agaunenſis auctor Vitæ Sancti Eugendi diſtinguit. Imò Lerinenſes Monachos Auguſtinianam Agaunenſium regulam uſquè ad Marini Lerinenſis Abbatis tempora ignorare inſinuat memoratus Scriptor in fine Vitæ Sancti Eugendi cap. 15. *Inſtituta quoquè, inquit, de formatione Monasterii noſtri Agaunenſis cœnobii Sancto Marino Presbytero inſulae Lerinenſis Abbate compellente digeſimus, deſideria veſtra tam pro inſtitutionis inſignibus, quam pro jubentis auctoritate Chriſto opulente luculenter explebunt.* Quare ſi Marinus Abbas Lerinenſis tranſmitti ad ſe optabat Agaunenſis cœnobii leges, illas ſanè ignorabat; Scriptorum verò vitæ Eugendi circa annum 500. vixiſſe ex dicendis conſtabit.

Video, quid his reponat eruditiffimus Aloyſius Torellus, nempe unam quidè in Galliis viguiſſe Auguſtinianam regulam, ſed non eaſdem fuiſſe in omnibus monaſteriis conſtitutiones, quo pacto Eremitæ omnes Auguſtiniani unam quidè Sancti Patris regulam ſequuntur, unique Moderatori totius Republicæ Eremitanæ obediunt, ſpecialibus tamen ſtatutis diverſi reguntur; ſpeciales enim quaſdam leges habent Patres Excalceati Italiæ, ſuas Recolletti in Hiſpania, alias Bituricenſes Galli, à quibus diverſis etiam noſ ſtatutis ſubjicimur. Inventus quidè ab hac opinione diſcedo, ſed is veritati cultus debetur, ut amico præponatur, quem æqui, bonique noſtram hanc in dicendâ ſententiâ libertatem conſulturum ſcio, novi enim virum ſtrenuiſſimum ubique veritatis indagatorem. Dabo hic regulas celebriores, quæ antè Gregorii Magni in Galliæ monaſteriis floruerunt.

Sanctus Caſarius, qui anno 503. ad Arelatenſem ſedem evectus eſt, ſpecielem ab ſe extracto monaſterio regulam indixit, quæ poſtè ad pleraque alia cœnobîa derivavit. Hanc verò regulam typis excuſit Proſper Stellartius vir Auguſtiniani inſtituti, quam etiam ſuæ collectioni regularum Lucas Holſtenius inſeruit, præfert autem hunc titulum in vetuſtiſſimis MS. *Incipit regula à S. Tetradio Presbytero nepore beata mem. S. Caſarii Episcopi Arelatenſis Abbati meâ parvâ perſonâ rogante tranſmiſſa, quam à ſuo ſupramemorato Domino Caſario dixit ipſe dictatam, quam, dum eſſet ſacerdos, ipſe per diverſa monaſteria tranſmiſit.* Poſt Caſarium, & Auxanium Arelatenſem Eccleſiam rexit Sanctus Aurelianus, quo tempore Childebertus Francorum Rex in eadem urbe nobile cœnobium condidit. Porrò Sanctus Aurelianus non modò nullam ex antiquiorum Galliæ monaſteriorum regulis ſelegit, verum etiam nec deſſoris Caſarii regulâ uti voluit, ſed novam proſus procudit, in cujus prologo ita fatur: *Regulam vobis, ac diſciplinam inſtituimus, quæ vos ad viam perfectionis rectè faceret gradiri, & ad regna cælorum feliciter pervenire.* Illic verò titulus inſcriptus eſt: *Incipit inſtitutio Sanctæ regulæ:* hujus monaſterii mentionem facit S. Gregorius Magnus lib. 7. Epift. 117. Regnante eodem Childeberto Sanctus Ferreolus Ucetienſis in Galliâ Narbonenſi Episcopus monaſterium condidit, propriamque illis

Mona-

Monachis regulam dedit, in cujus præfatione hæc ad Lucretium scribit: *Regulam, quæ ab eis pro lege servetur, licentiã à vobis tam petitiã, quàm acceptã conscripsimus.* Ita verò illa inchoatur: *Regulæ principium de his, quæ observanda Monachis Ferriolacensis Monasterii statui institutor.* Novam etiam regulam Galliis intulit insignis Luxoviensis cœnobii conditor Sanctus Columbanus, de quâ re Jonas Monachus cap. 9. libri de Vitâ Sancti Columbani hæc scribit: *Ille ergo in locis Monachorum plebibus constitutis ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent, Spiritu sancto repletus condidit;* Pleraque etiam Monasteria sub eandem regulam adacta recitat cap. 6. Illius verò titulus est: *Incipit regula cœnobialis;* statimque caput primum incipit in hæc verba: *Primo omnium docemur Deum diligere ex toto corde &c.* Harum regularum collectionem confavit Sanctus Benedictus Abbas Anianensis, qui floruit anno 820. quas unã cum aliis plerisque è codicibus antiquissimis Monasterii Sancti Maximini apud Treviros, ac selectæ Bibliothecæ Serenissimæ Svecorum Reginae Christinæ exscripsit Holstenius, sed vir nunquam sibi satisfaciens, ultraque nonum annum scripta sua premens morte præventus non evulgavit; illa tamen curã, & studio Eminentissimi Principis Francisci Cardinalis Barberini Romanis typis excusæ prodire anno 1661. Et quidem regula Sancti Cæsarii Augustinianã brevior est, cujus nec unam sententiam ad verbum reddit. Regula Sancti Aureliani sex tantummodò paginis continetur; illa verò Sancti Ferreoli tredecim; regula denique Sancti Columbani in decem tantum capita digesta est; Ex quibus patet horum Patrum institutiones monasticas verè, ac rigorosè regulas nuncupandas esse, non minùs, quam Augustinianam nostram; ridiculum enim esset asserere, cæteras Monachorum leges esse constitutiones, Augustini verò statuta unicè Regulæ nomen mereri. Frustrã ergo Augustiniani Scriptores insignia quæque Galliarum cœnobio nostræ genti asserunt, quòd una tantum in Galliis antè Benedictinam Sancti Augustini Regula regnaret.

Vereor tamen, ne Lerinensibus extrã Augustinianæ Reipublicæ confinia deportatis tantum mihi invidiã apud nostrates conflem, quantum sibi laudis alii comparasse putant, qui omnia Galliarum monasteria in rei nostræ censum satis confidenter retulere; Quare ne quid per me gens nostra detrimenti subeat, insulæ Lerinensis, ut quaruntur, damna longè plurimum in continenti coloniarum, & quidem nobilissimarum accessione compensabo. Etenim Agaunenses Monachos, qui sæculo quinto in Galliis exorti sunt, Augustinianos fuisse non vanã illã de unicã in Galliis eã ætate Sancti Augustini regulã vigente, sed ex eorundem statutis, quæ universam Sancti Patris regulam ad verbum exhibent, solidè evincam, indeque etiam insigne Jurensium Monachorum institutum, ex quo Agaunenses derivarunt, eidem nostræ Familiæ asseram. Ubi Rhodanus tenuior adhuc à fontibus ingenti aquarum fragore inter montium angustias in Lemanum lacum procurrit, brevior sanè planities procul ab Octoduro alpium Grajarum urbe M. P. XII. aperitur, Agaunus incolis locus nuncupatur; ita enim saxum prisco vocabulo Galli appellabant. Locus exactè describitur in actis Sancti Mauritii, ac Thebaeorum militum, qui ibidem passi sunt: *Legio Thebæa præteriens Octodurense oppidum ad locum, cui Agauno nomen est, celeriter properavit, ut XII. milium spatio ab Octoduro separata necessitatem committen-*

di sacrilegii præteriret; Agaunum accolæ interpretatione Gallici sermonis saxum dicunt; Quo in loco ita vastis rupibus fluminis rursus arctatur, ut commendant facultate subiectã, contratis pontibus viam fieri itinervis necessitas imperaret. Undiquè tamen imminentibus saxis parvus quidem, sed amœnus irriguis fontibus campus includitur. In hac verò angustã planitie parvus vicus antiquitùs extructus fuit, quem Tornatam, seu Tornadam incolæ appellarunt. In itinerario Antonini distare legimus ab Octoduro *Tornadam M. P. XII.* ut planè intelligamus Tornatam apud Agaunum ædificatam. Joseph Simlerus, qui Valleliam diligentissimè descripsit, lib. 1. hæc habet: *Sub Octoduro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur Jurviana, Servantia, Verosa, mox Tarnade oppidum, Tarnade autem Antoninum secuti oppidum hoc nominamus, veterum plerique Agaunum nominarunt; Quare Agaunum, & Tornatam ex hoc solummodò distinguuntur, quod Agaunus situm, Tornata oppidulum inibi conditum significat. Celebre verò monasterium à Sigismundo Burgundionum Rege apud Tornatam extructum tradit laudatus Simlerus: Sigismundus Rex Burgundionum Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis, & aliorum Episcoporum oratione impulsus eodem loco in honorem Martyrum cœnobium celebre construxit, oppidulum Tarnade juxta positum mœnibus ampliatis cœnobio conjunxit.* Scribit hoc ipsum ejusdem sæculi auctor Marius Aventicensis in Chronico ad annum 515. *Florentio, & Anthemio Consl. monasterium Acauno à Rege Sigismundo constructum est.* Verum ex actis Sancti Severini Abbatis Agaunensis, seu Tarnatensis constat insigne illud cœnobium antè annum quingentesimum extructum fuisse, nam cum Clodoveus Magnus Francorum Rex, qui jam per annos viginti quinque regnarat, insanabili morbo laboraret, Tranquillinus Medicus his Regem alloquutus est: *Est sanè in sacrosancto Agaunensium monasterio, ubi pretiosus Christi Martyr Mauritius requiescit, Abbas, & Sacerdos vir quidam moribus, & vitã laudabilis Severinus nomine &c.* cap. 1. num. 5. apud Bollandum die 11. Februarii. At Clodoveus circã annum 480. regnum indeptus est, quare anno regni XXV. nempe circã annum 505. florebat Tarnatense monasterium sub Severino Abbate. Præterea cum jussu Sigismundi Regis anno 515. Sanctus Avitus Viennensis unã cum collegis novam psallendi formam Tarnatensibus præscriberet, sacram concionem idem recitavit, cujus tantum titulum è Thuanischedis vir diligentissimus Sirmondus pag. 158. Sancti Aviti Epistolis, ac poematibus inseruit, est verò talis: *Homiliã VII. dicta in Basilicã Sanctorum Agaunensium in innovatione monasterii ipsius &c.* Ex quibus patet, non quidem eo anno Tarnatense cœnobium primitus extructum, sed jugis, nullaque unquam horã interpolatæ psalmodiæ institutione sanctionem in formam restitutum. De Sancto Hymemodo, qui primus anno memorato 515. Tarnatense monasterium rexit, hocce fragmentum ex memorato codice exhibet Bollandus in prolegomenis ad Vitam Sancti Severini: *Psallendi interim vel subsistendi regulã instituta Sancto Hymemodo à cœtu Episcoporum, qui illuc ad constituendum monasterium venerant, traditur.* Plerique tamen Tarnatense monasterium à Sigismundo Burgundionum Rege fundatum existimant, quod ille & novis ædificiis auxit, redditibus locupletavit, jugique psalmodiã institutã sanctius reformandum curavit. Sammarthani Tom. 4. Galliæ Christianæ tabulas donationis ab eodem Rege peractæ recensent, ubi & nobiles Episcopi, qui

interfuerit, hominantur, sed de regulâ tunc vel veteri firmatâ, vel novâ inductâ nihil asseritur.

De Tarnatensium, seu Agaunensium Monachorum regulâ hæc scribit vir eruditissimus Hæftenus tr. 5. Disquis. Monast. XI. *Qualis verò regulâ hujus fuerit observantia, nusquam legere me memini; Sed Lucæ Holstæni V. C. diligentia Tarnatensis Regula tandem innotuit, illam enim unâ cum reliquis à Sancto Benedicto Annianensi collectis publicavit. Hunc titulum præfert: Incipit regula Monasterii Tarnatensis; In tria, & viginti capita digeritur, & Sancti Augustini regulam ad verbum exscriptam continet, quod Lectorum commoditati consulens paucis ostendo, eandem cum Augustinianâ, quo pacto utraque in capita ab Holstæno distincta fuit, conferendo. Caput XIV. regulâ Tarnatensis constatur ex capite primo, secundo, & tertio regulâ Augustinianâ. Caput XV. Tarnatensium unit quartum, & ex parte quintum nostrâ regulâ. Caput XVI. conformia tradit posteriori parti capitis quinti regulâ Augustinianâ. Caput XVII. est apud Sanctum Augustinum sextum, ac septimi prior pars. Caput XVIII. reliquam septimi, & priorem octavi Augustinianâ regulâ reddit. Caput XIX. componitur ex nono, decimo, & undecimo laudatâ regulâ. Caput XX. & duo priores versus capitis XXII. sub unico decimotertio Augustinianâ continentur: at omisum est caput duodecimum regulâ Augustinianâ, quia inibi de lotionne in balneis agitur, quæ tempore Sancti Augustini omnibus etiam sanctioris instituti viris, imò & feminis sanitatis servandæ gratiâ familiaris erat, sed paulò post apud Monachos, dein apud reliquos Christianos obsolevit; reliqua pars capitis ejusdem XXII. constat ex capite 15. & 16. itemque initio 19. Augustiniani canonis; Nam media tria capita Augustiniana, quòd explicationes tantum visa fuerint capitis 15. consultò omissa fuere à Tarnatensibus. Caput XXIII. quod & postremum est regulâ Tarnatensium, exhibet ad verbum caput 20. 21. 22. 23. & 24. Augustinianâ regulâ, quo tandem & ipsâ concluditur. Volo hic tamen finem Tarnatensium Patrum apud Agaunum regulâ recitare: *Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimanâ vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt facientes, agite gratias Deo bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quisque vestrum videat aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut debitum dimittatur, & in ventationem non inducatur.* **EXPLICIT REGULA TARNATENSIS:** Atque idem est Augustinensium Eremitarum regulâ terminus.*

Priora capita regulâ Agaunensium Monachorum, quæ in regulâ Augustinianâ non reperiuntur, agunt de modo recipiendi Tyrones, recitandi divinam psalmodiam, distinguendi horas precibus, atque operibus destinatas, de quibus in Augustini regulâ silentur; sed certum est, Sanctum Patrem Africanis suis Monachis illis etiam de rebus leges tulissimam cap. 4. ait: *Orationibus instate horis, & temporibus constitutis; erant ergo & apud Augustinianos statuta orandi tempora, quæ nobis specialibus decretis à regulâ distinctis indicantur.* Rursus Augustinianos in Africâ Monachos antiquitus vitam manuum labore transegisse certum est, quare quòd omnis confusio tolleretur, debito in omnibus ordine servato, constat, specialia statuta Sanctum Augustinum de faciendâ opere suis Monachis præscripsisse, quæ tamen intercidere.

Ceterum ex laudatâ Tarnatensium, seu Agaunen-

sium regulâ duo colliguntur. Primum est, monasterium illud initio non fuisse Clericorum Regularium Augustinensium, qui anno tantum 1150. ibidem primum apparere, teste Bollandio in Prolegomenis laudatis ad Vitam Sancti Severini, ubi rem ex antiquis monumentis more solito, nempe eruditissimè ostendit §. 2. n. 20. Erant illi Monachi Augustiniani ut plurimum parùm literis exculti rusticis, atque artificiosis operibus vitam transigentes; Nam cap. 8. regulâ hæc legimus: *Sedentes ad mensam lectionem, quæ legitur, cum silentio audiant, si verò defuerit persona Lectoris, ad instar cibi sanctarum Scripturarum meditatio ruminetur.* Rarus ergo erat inter illos Monachus literarum gnarus. Additur ibidem: *Arator sive am tenens Alleluja canet, sudans messor psalmis se avocet, & dum palmitem currum tondet vinitor falce, aliquid Davidicum canat. Hæc sint vestra carmina, hæc, ut vulgò ajunt, amatorie cantiones, hæc pastorum sibilus, hæc instrumenta cultura.* Agriculturæ ergo plerique vacabant. Alii extrâ Monasterium questum ibant, nam cap. 11. scribitur: *Ea, quæ à Fratribus colliguntur, summâ curâ pro Domini timore conservent.* Multi etiam artificiosis operibus deputabantur; hinc cap. 7. hæc lex intimatur: *Ubi artifices operantur, absque superscriptis personis nullus præsumat accedere.* Alterum verò ex superius dictis colligitur, Regulam illam observatam in Monasterio Agaunensi antè annum 500. nam cap. 9. tempus psalmodiæ peragendæ omnibus præscribitur: *Estatis tempore matutinis ex more completis, & Primâ dictâ OMNES opera, quæ jubentur, assumant.* Item: *Post horam verò nonam, aut in orto, aut ubi poscit utilitas usque ad horam lucernarum OMNES in unum solatium commodabunt.* At postea anno 515. Sigismundo Burgundionum Rege adnente in Agaunensi monasterio jugis die, noctuque continuata, nec unquam interrupta psalmodia instituta fuit. Scribit Gregorius Turo-nensis de eodem Rege lib. 3. Hist. Franc. cap. 6. *Ille ad Sanctos Agaunenses abiens per multos dies in fletu, & jejuniis durans veniam precabatur, Psallentium ibi assiduum instituens.* Aimonius lib. 3. de Gestis Francorum cap. 80. de Guntrammo Rege monasterium instituentem ait: *Synodum LX. Episcoporum aggregari præcipiens, ut ordo psallendi, qui in loco Sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi Regis ab Aristo, & cæteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in cœnobio, quod ipse fabricarat, teneretur, effecit.* Bona Agaunensi huic monasterio à Sigismundo Burgundiæ Rege summâ cum pompâ anno 515. legata pridie Kalendas Majas præsentibus sexaginta Episcopis, ac pluribus nobilibus legimus Tomo 4. Sammarthano- rum, ubi & plurima oppida illius cœnobii Monachis data recensentur, ut planè artificiosè opere illis vita deinceps nequaquam fuerit transigenda.

At cum Agaunenses Monachi à Juren-sibus Lemano Lacu inter utroque stagnante derivarint, atque eandem isti pariter Augustinianam regulam observaverint, nonnulla etiam de Juren-sibus Monachis subdenda sunt. Sanctus Romanus sanctioris vitæ desiderio actus in Juren-ses saltus secessit, atque in loco Candefcone vulgò nuncupato primum in Sequanorum Galliâ monasterium erexit. Sicut exactè describit Anonymus Juren-sis Monachus in Vitâ Sancti Romani apud Bollandum die 28. Februarii, ubi cap. 1. ait: *Antè Romanum nullus omnino Monachorum intrâ ipsam provinciam religionis obtentu, aut solitavitiam, aut consorcialis observantia sectatus est vitam. Romanum secutus est in eremum Lupicinus ejusdem frater, cujus vitam idem Anonymus scripsit, & habetur*

apud

apud Bollandum die 21. Martii. Baronius, ac Torellus utriusque Monachatum recensent anno 565. integri Sæculi metachronismo, cum certum sit, Romanum antè annum 444. plura monasteria in vicinis regionibus per discipulos condidisse. Scribit Anonymus cap. 1. num. 5. *Cœperunt exinde venerabilia Patrum examina velut ex referro apum alucario Spiritu Sancto ructante diffundi, ita ut non solum Sequanorum provinciae loca secretiora, verum etiam territoria longè, latèque spatiiis distincta terrarum divinae sobolis diffusà gratià monasteriis, atque Ecclesiis repleri.* At capite postea sequenti idem de Romano addit: *Audit à namque memoratorum famà Sanctus Hilarius Arelatensis Episcopus missis in causà Clericis beatissimum Romanum haud longe sibi à Vefontionensi urbe fecit occurrere.* Quod tunc contigisse notat, cum Hilarius Celedonium Episcopum Vefontionensem deposuit, quæ sanè depositio accidit anno 444. ut ex literis Sancti Leonis Papæ, & ex Scriptore Vitæ Sancti Germani ostendemus inferius cap. 11. Fuere ergo illi Sancti fratres cœvi Hilario Arelatensi, qui anno 449. ad superos transit. Aliam chronologicam notam subjiciam ex Vitâ Sancti Lupicini cap. 3. num. 8. ubi de eodem hæc scribuntur: *Hic namque aliquando, quod longævus forsitan meminisse non ambigo, magnam, ac miram absolutionem fide dictâ amico orans in monasterio vineto in ergastulis præstitit Romæ. Vir quondam illustis Agrippinus sagacitate præditus singulari, atque ad dignitatem militiæ secularis Comes Galliæ à Principe constitutus per Agidium tum Magistrum militum callidâ, malitiosâque apud Imperatorem arte fuerat obscuratus, eò quod Romanis fascibus lucens barbaris procul dubio favere, & subreptione clandestinâ provincias à publicâ niteretur ditone dejicere.* At Agidii, & Agrippini tempus pluribus chronologicis notis Idatii in Chronico illustrat, hæc enim habet juxtâ editionem Sirmondi Olympiade CCCXI. *Agrippinus Gallus, & Comes, & civis Agidio Comitè insigni inimicus, ut Gothorum mereret auxilia Narbonam tradidit Theodorico.* Annum verò ait fuisse sextum Leonis Orientis Imperatoris, & alterum Severi, qui in Occidente regnabat, *Ærâ Hispanicâ D. quo anno VI. Nonas Martias ab occasu Solis Luna defecit feriâ sextâ.* Est annus omnino 462. quo à 26. Januarii currebat sextus Leonis, & die 19. Novembris secundus Severi inchoabatur, cum secunda dies Martii incidit in feriam sextam Cyclo Solis XXIII. Lunæ VII. lit. G. quâ die exeunte contigit ecliphs, quam eruditè exponit Petavius lib. 8. de Doct. temporum pag. 846. Scribit etiam Marius Aventicensis: *Basilio, & Bibiano. His Coss. pugna facta est inter Agidium, & Gothos &c.* fuit annus 463. Anno verò sequenti Agidium obiisse Idatius illius temporis Scriptor affirmat, nobilibus etiam caracteribus eundem annum demonstrans, quod esset septimus Leonis, quando XIII. Kal. Augusti feriâ secundâ Solis ecliphs accidit ab horâ tertiâ ad horam sextam; Et quidem anno 464. Leonis septimo die 20. Julii feriâ secundâ Cyclo Solis 25. Lunæ 9. lit. EF contigit plenilunium, fuitque Ecliphs horâ 7. 52. 32. quam laudatus Petavius pluribus describit: Ex quibus patet difficulter cum iis componi, quæ ceteri omnes Scriptores de Agidio narrant, nempe anno 461. ex Magistro militum à Francis ejecto Chilperico Regem electum, plenosque octo apud eodem annos regnasse. Ex his ergo constat, Lupicinum anno 462. monasticam vitam egisse. At Baronius legens in libro Gregorii Turonensis Lupicinum cum Chilperico Burgundionum Rege locutum, id de

Chilperico, qui in Gallia regnabat anno 565. intellexit, at ille Chilpericus fuit filius Gundiochi Burgundionum Regis, cujus filia circâ annum 490. Clodovæo nupsit ex Fredegario, & Gregorio Turonensi tomo 1. Chesnau. Et quidem ex actis Sancti Lupicini die 21. Martii cap. 3. habemus, eundem ab audaci viro, ac petulanti coram Hilperico mendacii reprehensum, quod antè decem annos Romani apud Sequanos imperii excidium prædixisset nondum in nullo rei tristici probatione firmatâ. Undè illa prædixit Lupicinus antè annum 446. nam anno 456. scribit Marius Aventicensis: *Joanne, & Varane Coss. Eo anno Burgundiones partem Galliæ occupaverunt, terrasque cum Galliæ Senatoribus diviserunt.* Ex his deduco, antè annum 456. colloquium illud inter Agidium Magistrum militum, & Agrippinum Sancto Lupicino præfente, quod pluribus Monachus Jurensis sæpè laudatus describit, contigisse; nam post illum annum Romani Duces totâ Galliâ Sequanicâ exclusi fuerunt. Hæc diligentius prosequutus sum, ut tempus, quo Anonymus ille vitas Romani, Lupicini, & Eugendi Abbatum Jurensum exaravit, intelligatur, id enim nostro instituto plurimum congruit; etenim cum dicat, longævus citrà dubium meminisse eorum, quæ de Agrippino à Lupicino liberato narrabat, circâ annum quingentesimum se illa scribere ostendit, annis enim quatuor ferè ac quadraginta elapsis, rectè seniores in testes appellare poterat. Ex hucusque dictis colligitur minis rectè celebres illos Jurensum Monachorum Patres Martyrologio Benedictinæ familiæ insertos, cum integro sæculo antè Sanctum Benedictum floruerint.

His ergo de tempore Jurensum monasteriorum stabilitatis, probandum nobis est, hos ipsos Augustinianam Tarnatensium, seu Agaunensium regulam coluisse; nullus autem melior testis adduci potest, quàm Jurensis Monachus, qui in præfatione Vitæ Sancti Romani ad Joannem, & Armentarium Monachos Tarnatenses hæc habet: *Quamvis ergo Agaunus vester Gallico, priscoque sermone tam primitivis per naturam, quam nunc quoque per Ecclesiam veridicâ præfiguratione Petri Petra esse dignoscitur, agnoscat tamen charitas vestra, & inter pineas, abignasque Jurensum Sylvas ipsam quondam à Psalmographo in campis Sylve mysticâ significatione repertam, quæ nunc inibi à Sanctiis fratribus, sublato jam præfigurationis enigmate, pedissequâ stabilitate calcatur.* Monastica ergo regula apud Tarnatensium Agaunum culta in Jurensi monasterio prius observari cœpta fuit, indeque Agaunum portata. Rursus idem Monachus in fine Vitæ Sancti Eugendi Abbatis Jurensis scribit apud Bollandum die 1. Januarii; *Instituta quoque de formatione Monasterii nostri Agaunensis conobii Sancto Marino Presbytero insule Livinensis Abbate compellente digestimus, desideria vestra tam pro jubentis auctoritate Christo opitulante luculenter explebunt.* Erant ergo ejusdem instituti Augustiniani Eremitæ Jurense, & Agaunense, seu Tarnatense, utpotè sub eandem Sancti Augustini regulam adacti, undè laudatus Monachus Jurensis Agaunense Monasterium nostrum jure optimo nuncupavit.

Arbitror, Augustinianos meos mecum minimè conquestruros, nam licèt Lerinenses alterius à nostro instituti fuisse ostenderit, Jurense, & Tarnatense Monachos in nostræ Reipublicæ censum retuli, quorum colonias longè, latèque per Galliam propagatas fuisse non modò Anonymus ille oculatus testis asseruit, verum etiam Gregorius Turonensis in libro de

vitis

vitis Patrum cap. 1. sed Anonymi verba planè repetenda sunt: *Cæperunt exinde venerabilia Patrum examina velut ex referto apum alveario Spiritu Sancto rucante diffundi, ita ut non solum Sequanorum provincie loca secretiora, verum etiam territoria longè, latèque spatiis distincta terrarum divine sobolis diffusa gratiâ monasteriis, atque Ecclesiis repleri.* Initio quidem hi Monachi in cellulis hinc inde per Condadesconensem saltum dispersis habitabant (mandræ divise illæ mansiones Syris vocabantur) at Romanus, cum Eremitarum numerus excrevisset in cœnobium colligendos eosdem duxit: audiatur Anonymus cap. 13. num. 21. *Iste etiam refutato Archimandritarum more, utilis omnes univit in medium, destructis namque mansionum adiculis uno cunctos secum Xenodochio quiescere fecit, ut quos etiam causâ unitæ refectiois una clauderet adicula, discretis quoque lectulis una ambiret & mensio.* Quo anno Jurenses Eremitæ Augustiniani esse cœperint, incertum est; paulò post Sancti Augustini obitum, qui anno 430. contigit, eorundem initia recensenda esse videntur; etenim anno 444. quando Hilarius Arelatenfis Romanum, ac Lupicinum ad se evocavit, jam plura per universam provinciam monasteria condiderant, sexennium circiter cœnobiorum propagationi dandum est; At antequàm Lupicinus ad Romanum se conferret monasticam cum fratre vitam instituturus, jam plures in Eremò annos Romanus exegerat scribente Anonymo cap. 2. num. 4. *Cum ergo in suprascripto loco multo jam tempore prisce imitator Antonii Romanus vitâ frueretur Angelicâ Lupicinus germanitate minor illuc ad fratrem se contulit. Octennium ad minus dandum est, ut multum temporis effluxisse dicatur. Romanus quinque, & triginta annos natus in eremum secessit; eundem verò anno 456. non amplius superstitem fuisse credo, nam Lupicinum cum Hilperico Patritio, Agrippino Comite, & Egidio Magistro militum pro suorum Monachorum, aliorumque negociis egisse, idem scriptor testatur. Lupicinus post Romanum Monachus rexit; cui Sanctus Eugendus successit, qui septem vix annos natus Romano à genitoribus oblatu fuit, de quâ re legendus Anonymus cap. 4. de Vitâ Romani, quare antè annum 456. Eugendus trigessimam ætatis annum exegerat, qui cum annos vixerit sexaginta quinque, obiit circâ annum 490. Anonymus verò ille Jurensis, qui trium illorum Abbatum vitam descripsit morienti Eugendo se adfuisse testatur.*

Tarnatensem regulam sæpè laudat Sanctus Benedictus Abbas Anianæ in concordia Regularum, longiores etiam ex eadem sententias exscriptas suæ collectioni inseruit cap. 2. §. 5. cap. 31. §. 18. cap. 43. §. 16. & 17. ubi Augustinianæ regulæ verba leguntur, quod etiam patet ex cap. 47. §. 11. & 59. §. 4. & cap. 61. §. 12. Hugo Menardus in præfatione Commentariorum ad collectionem Sancti Benedicti Anianensis de regulâ Tarnatensi scribit: *Quedam sumit à regulâ Sancti Augustini.* Sed vir eruditus Tarnatensem regulam nondum ab Holstenio editam non viderat, nam planè constat ex recitata superioris collatione, universam Sancti Patris regulam Tarnatensi illi insertam.

Theodoti Patriarchæ Antiocheni, ac Theodoti Mopsuesteni obitus. De Theodoti Synodo contra Pelagianos. Praxylus Antistes Pelagium Hierosolymâ exturbat. Nestorius novus Antistes Constantinopolitanus.

AD Pelagianos iterum redeo, undè instituta de Lerinensium Monachorum initiis, ac sacris legibus dissertatio parumper averterat, etenim ex Galliâ in Ciliciam Theodoti Mopsuesteni obitus vocat, non ut illi quidem sacras inferias faciamus, sed ut Pelagianorum Patroni, & Nestorianorum Magistri sepulchrum anathemate signemus. Post illos quinque libros, quos ab eodem contra Divum Hieronymum præsertim scriptos fuisse diximus lib. 1. cap. 9. num. aliquid ille postea eadem in causâ ediderit, mihi prorsus incompertum est. Quo tempore mortuus sit, designat Theodoretus in calce Historiæ Ecclesiasticæ: *Eo verò tempore, inquit, quo Divus Theodotus Antiochenam Ecclesiam regebat, moritur Theodorus Episcopus Mopsuestias.* At Theodoti tempus non omnibus certum est. Baronius ad annum 411. num. 69. eo anno Theodotum Alexandro suffectum scribit, ac post sexdecim annos obisse anno 427. Consentit in Chronologiâ reformatâ in tabulis Patriarcharum Antiochenorum Ricciolius. Meus Panvinius in Chronico Ecclesiastico Theodoti tempus intrâ annos 420. & 424. contrahit, & quidem usquè ad annum 424. Theodoti vitam protrahit Pater Lupus in notis ad Collat. 5. Synodi V. ubi de Theodoro agit. Sed nulla ex recitatis sententiis nobis probari potest; nam neque ad annum 411. Theodoti Episcopatus retrahendus est, & planè ultrâ 424. producendus. Theodoretus, qui magnam vitæ partem Antiochiæ exegit, quive historiam finivit, exitu, ut ait, *laudatissimorum virorum Theodoti, ac Theodoti mortis, dubium solvet.* Is in Vitâ Zenonis Anachoretæ hæc scribit: *Cum primum enim Imperator Valens fuisset de medio sublatus militare deposuit cingulum, ac propè Antiochiam se contulit.* At Valens à Gothis victus occubuit Valente VI. ac Valentini. II. Coss. ex Marcellino, Idatio, aliisque, nempe anno 378. die IX. mensis Augusti. Zeno verò ex milite Eremicola quadraginta, & amplius annos austeram vitam duxit. Eum Theodoretus visitavit miratus, quod in tam profundâ philosophiâ tantâ esset modestiâ, ac moderatione vir senex, quadraginta enim annis perpetuis versans erat in monastica exercitatione. Itaque attigit annum 418. postea recenset Theodoretus quid cum Alexandro Episcopo idem Zeno egerit his verbis: *Accessit itaque civitatis Antistite, is autem magnus erat Alexander &c. Quoniam jubet migrare ex hac vitâ, re earum sc. facultatum, quas intelatus olim reliquerat, consituo dispensatorem, qui es & Pontifex, & pontificatum ex lege optimè geris.* Itaque Alexander ultrâ annum 418. fuit Episcopus Antiochenus. Extat Epistola Theodreti ad Dioscorum, in quâ egregiè anni Theodoti Episcopi traduntur: *Sex enim, inquit, annos ibi ego docens tempore Beat. mem. Theodoti Antiocheni Episcopi, qui tum vitâ splendore polluit, & fultit, tum etiam divinorum dogmatum cognitione; Alios deinde tredecim annos tempore Beati Joannis &c. Præter hæc jam septimus agitur annus, quo Deo dilectissimus Archiepiscopus Dominus sedit.* Baronius ad annum 444. num. 19.

eo anno contendit scriptam à Theodoro illam Epistolam, sed planè scripta est anno 447. cum post biennium depositus fuerit Dominus in Pseudo-Synodo Dioscorianà cum fedisset annos novem.

Refert Phorius Codice 52. Epistolam Sifinnii C-P. & Theodoti Antiocheni ad Episcopos Pamphiliæ cum hac inscriptione: *Sifinnius, ac Theodotus & universa Sancta Synodus, quæ Dei gratiâ in magnâ urbe Constantinopolitanâ coacta est consecrandi gratiâ Dei amantissimi Episcopi Sifinnii.* At Sifinnius consecratus est Episcopus post obitum Sancti Attici anno 526. die 28. Februarii ex Socrate lib. 7. cap. 26. Ex his moritur Theodotus anno 427. Sifinnio Constantino poli sedente, qui nondum biennio exacto 24. Decembris Hierio, & Ardabure Coss. anno eodem 427. decessit. Hinc Photius Codice 31. agens de Theodoro mortuum Theodotum scribit, *quando Constantino poli sacrorum Antistes Sifinnius fuit.* Anno ergo 421. mortuo Alexandro sacris Antiochenorum præsidere cœpit Theodotus; nam sex illos tantum annos in eâ sede vixisse ex Theodoro colligitur. Neque quis reponat, Theodoretum sex illos tantum annos Theodoti numerasse, quibus eodem Antistite vivente in Antiochenâ Ecclesiâ catechesim ipsemet docuit, quasi antea federit ibidem Theodotus, cum nondum Theodoretus Antiochiæ sacras literas explanaret; Nam scribit superstite adhuc Alexandro, se ad Zenonem visitationis officia perfoluturum venisse, à quo cum benedictionem peteret discessurus, *ille recusabat, inquit, se ipsum privatam quidem, nos autem milites appellans, tunc enim sacros codices legebam populo Dei;* Quare etiam sub Alexandro sacras literas Theodoretus interpretabatur.

Inter cætera, ob quæ idem Theodotus nobis commendandus venit, reponenda est Synodus, quam contra Pelagianos celebravit, cujus rei testem habemus luculentissimum Marium Mercatorem in Commonitorio ad Theodosium juniorem, cujus verba antequam referam, resest altius repetenda. Cum Pelagius Hierosolymis à Joanne Episcopo absolutus fuisset tanquam ab omni hæresi immunis, Catholici id ægrè ferentes ad Eulogium Cæsareensem Antistitem totius Palæstinæ Primatem appellarunt. At ille Diospoli provincia Synodum coegit, in quâ Pelagius subdola arte se se Catholicæ doctrinæ assertorem venditans iterum absolutionem suffuratus fuit, de quibus lib. 1. cap. 7. & 8. fufius diximus. Uti verò Hierosolymitanus Antistes Metropolitæ Cæsareensi suberat, ita hic Patriarchæ Antiocheno totius Orientis supremo Exarcho subiectus erat, ad quem quæcumque causa tum Hierosolymis, tum Cæsareæ iudicata, iterum iudicanda referri poterat. Scribit ista disertè Hieronymus in Epistolâ adversus errores Joannis Hierosolymitani; *Ni fallor, inquit, hoc tibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia; Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debueras, cui spectat communiōe tuâ communicare nos noveras, aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius literæ dirigenda.* Ex quibus patet error palmaris Hincmari, ac Theodori Balsamonis existimantium ex septimo canone Nicæno, Hierosolymitanum Episcopum erectum in Primatem, aut Patriarcham, indè enim solummodò primus eidem post Metropolitam Cæsareensem locus decernitur; in Synodo enim Diospolitanâ anno 415. primo loco tanquam Præses sedit Eulogius Metropolita Cæsareensis, cui proximus venit Joannes Hierosolymitanus, ut patet ex Sancto Augustino lib. 1.

contra Jul. cap. 5. & 7. Juvenalis, qui tertius à Joanne memorato Hierosolymitanam Ecclesiam rexit, à Cæsarensis Metropolitæ jure primùm se subduxit. Cum ergo Pelagius rectæ fidei professor à Joanne Hierosolymitano, iterumque ab Eulogio Metropolitâ Cæsareensi iudicatus fuisset, ad Theodotum totius Orientis Patriarcham appellationem iterum Orthodoxi interposuere; ille verò coactâ Antiochiæ Synodo Pelagium uti hæreticum latâ sententiâ damnavit. Audiatur Mercator: *Adhuc etiam Hierosolymis constitutus Pelagius accusatus apud Synodum, & primò quidem tergiversando ambiguis quibusdam se professionibus tegens, & prosequens dubia, vel respondens, illam tunc videtur Episcoporum audientiam delusisse, sed postmodum evidenter deprehensus insistentibus accusatoribus, ac posteriore Synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochia præsedet Episcopus, atque detectus, à sanctis quoque, ac venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus, ejusdemque Sancti Theodoti ad reverendissimum urbis Romæ Episcopum, & sanctæ recordationis Prayli Hierosolymitani Episcopi missa rescripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.* Ex quibus liquet, Praylum, qui anno 417. ad Innocentium Papam pro Pelagio literas miserat, ejusdem postea erroribus, quos hæreticus mille fucis dudum obduserat, probè cognitis, illum ex Hierosolymitanâ diocesi expulisse; hæc verò ab anno 421. qui acceptæ à Theodoto sedis primus numeratur, contingere; Quòd se Pelagius indè ejectione receperit, incertum est.

Sedente Antiochiæ Theodoro Theodorum Mopsuestenum magnum Pelagianæ sectæ patronum extremum diem clausisse ex Theodoro proximè laudato diximus, quoto verò anno sexennii, quo vixit Theodotus Patriarcha, objerit Theodorus, non constat; satis probabiliter ex memorato Scriptore deducitur, decessisse Mopsuestenum propè annum 427. nam scribit se historiæ finem imponere exitu laudatissimorum virorum Theodori, ac Theodoti mortis, ut palam sit, eodem ferè tempore utrumque vivendi finem fecisse.

Vixit Theodorus Mopsuestenus, teste eodem Theodoro, in Episcopatu annos triginta sex. Ingenio fuit adeo sæcundo, ut decem mille eundem libros exarasse testatus sit Joannes Antiochenus in Epistolâ ad Sanctum Cyrillum: *In Episcopatu defunctus agonibus autem adversus Arianos, & alios hæreticos decem millibus per omnem suam vitam decoratus est.* Hoc postea Schismatici, qui contra V. Synodum pro Theodoro conspirarunt, solebant plenis buccis exaggerare, undè sunt illa eosdem corrigentis Sancti Pelagii Papæ verba in Epistolâ ultimâ ad Episcopos Histriæ: *Ecce quales plusquam decem millia librorum Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate queso, si non tanto acriora tormenta promeruit, quanto plura conscripsit.* Multæ sanè hæreses ex illius libris referuntur Collat. 4. Synodi V. ac in constituto Vigilii Papæ. Ibi inter cætera docuit: *Adam mortalem factum communi cæteris belvis conditione, quæ capitalis hæresis Pelagii fuit.* Vidimus, Pelagium suos discipulos secreto docuisse, multumque curasse, ne ipsius dogmata in vulgus spargerentur; laudata sunt verba Sancti Hieronymi in Epistolâ ad Ctesiphontem contra Pelagium: *Nosti enim quid intrinsecus discipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud cælans conscientiâ; nobisque alienis, & indoctis loqueris per parabolas, tuis autem mysteria confiteris.* Eadem arte usus est Theodorus, de quo hæc scribit Rabulas Metropolita Edeffenus ad Sanctum Cyrillum:

Alios

*Alios autem laqueos in scriptis ponebat, qui in principis quorundam ejus codicum anathemate circumcludebat insipientem, non manifestare aliis scripta sua: Coll. 5. Synodi V. Hunc Rabulam laudat eximie Cyrillus, & plura de eo dabimus alibi. Cæterum tanta librorum Theodori multitudo non ad paucitatem, sed ad nihilum ferè redacta est illos persequentibus Imperatorum edictis. Nusquam tamen pejus locutus est, quam in postremis scriptis de Incarnatione: audiatur Hefychius Hierosolymitanus in Ecclesiasticâ Historiâ hæc de Mopsuesteno memoriâ prodens: *senectute jam canâ debilitatus, sed minimâ pietatis scintillâ, si qua fortè in eo fuisset, inveteratâ, libros componere adversus Domini Dei apparitionem præsumpsit.* In Synodo V. memoratâ. Plures verò eo de argumento libros scripsisse patet, nam illius errores Synodus produxit *ex libro 14. de Incarnatione.* In his Nestorianam, ac Pelagianam hæresim tradidit; docuit enim inquit Hefychius, *Hunc non incarnatum Verbum, sicut Evangelicis vocibus edocti sumus, sed hominem per vitæ profectionem, & passionum perfectionem conjunctum Deo Verbo.* Plus tanè nocuit Theodorus mortuus, quam vivens; nam superstes quidem unus tantum infertis suis libris erroribus Ecclesiæ non modicam perniciem intulit, at mortuus mille doctissimorum Patrum dexteris pro ipsius nominæ defendendo armavit, Synodos Synodis objecit, atque in quæstione facti Apostolicam Sedem à se ipsâ dissentientem fecit, uti fufius altero volumine dicetur.*

^{Anno} 428. Pelagiani animos desponderent, Nestorius eorumdem patrociniū suscepit anno 428. Theodosii Imperatoris operâ Ecclesiæ C-P. Præfectus. Etenim cum antè biennium mortuo Attico ingentes in urbe regiâ tumultus fuissent, nonnullis Philippum, multis Proclum, pluribus Sifinnium in Antistitem postulantes. Imperator Sifinnio, qui tunc cæteris prælatus fuerat, post biennium defuncto, ab Antiochenâ Ecclesiâ Episcopum petiit, undè olim à Patruo Joannes Chrysolostomus adscitus fuerat, cumque Nestorius in ore omnium versaretur, idem C-P. Antistes electus fuit. Hic Theodori Mopsuesteni dudum famâ per motus ad eundem se contulerat, à quo & pravâ doctrinâ imbutus fuit. Scribit hæc Evagrius Epiphaniensis lib. 1. cap. 2. *Apud Theodorum in Mopsuestiâ degens Nestorius auditiâ illius doctrinâ pietatis naufragium fecit.* Hinc Sanctus Cyrillus non uno loco Nestorio objicit, quod Theodorum magistrum audiverit: In Epistolâ ad Acacium Melitenum ait: *Nec enim Theodorus Nestorii fuit discipulus, sed iste illius, & velut ex uno loquuntur ore, & unum malæ doctrinæ ex suo corde evomunt venenum.* Longè verò pejus de Christo Domino Theodorum, quam Nestorium sensisse, idem Cyrillus testatur in Epistolâ ad Clericos, & Lamponem: *Transilientes autem, ait, ad Theodori codices de Incarnatione factos, in quibus multo pejores Nestorii blasphemias positæ sunt: Pater enim fuit Nestorii perfidia &c.* Nestorium ex Germaniâ oriundum scripsere Ripamontius lib. 6. Histor. Ecclesiæ Mediolanensis, Ricciolius Tom. 3. Chronol. Refor. par. 3. in catalogo hæreticor. & collectores Concil. Edit. Regiæ in notis ad Ephesinam Synodum, aliique; sed errant, nam Germaniciæ natus fuit teste Socrate lib. 7. cap. 29. de quâ urbe scribit Theodoretus libro 2. cap. 25. *Germaniciæ urbs sita est in finibus Cilicum, Syrorum, & Cappadocum, censeturque in Euphratenfi provinciâ.* In itinerario Antonini plures viæ recensentur à Germaniciâ usque Edessam, & in Synodo Calchedonensi

aët. 3. publico Patrum nomine cum quibusdam aliis missus fuit ad vocandum Dioscorum Alexandrinum Joannes Germaniciæ Civitatis Orientalis. Cæterum Nestorius suis coloribus affabre exprimitur à Theodoro ipsius quondam defensore in Epistolâ ad Sporacium: *Fuscâ veste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, pallore corporis continens videri affectans, libris domi ut plurimum incumbens, & quietè secum habitans. Hoc habitu, & hac simulatione populum inescans magnam partem transigit, Christianus potius videri, quam esse studens.* Nestorius eadem die, quâ consecratus est Episcopus, quæ fuit Kal. Aprilis Felice, & Tauro Conf. per Anastasium presbyterum, quem Antiochiâ secum adduxerat, univerfam regiam urbem pro concione transivit, dicente discipulo Virginem nequaquam Deiparam posse appellari. Eâ verò die Nestorium inauguratum Antistitem scribit Liberatus Diaconus cap. 4. sui Breviarii. Socrates autem tradit die 10. Aprilis eundem consecratum, ut dicemus cap. 24. Porro si Kalendis Aprilis consecratus fuit, cum eo anno 428. Kalendæ Aprilis inciderint in diem Dominicam Cyclo Solis XVII. Lunæ XI. litt. A.G. videtur Ecclesiæ C-P. quod diem attinet, in consecrandis Episcopis cum Romanâ convenisse, nam Sifinnius anno 426. die 28. Februarii, Maximianus verò anno 431. die 25. Dominicâ die consecrati sunt, undè Nestorius, qui inter utrumque sedit, eadem die resurrectionis Domini ad sacrum thronum evectus videtur. Nestorius tamen peccatum originale fatebatur, in quo à Magistro Theodoro discessit; undè Cœlestinus hæc ad eundem perscripsit: *Legimus, quod de originis vitio rectè sentias, quodque naturam ipsam culpâ obstructam non neges, & quod eam tandem exactum debitum justè exsolvere doceas, quod à debirice generatione ortum trahit.* Et ex hac parte contra Pelagianos stetit; Nùm verò senserit, purum hominem ingenitis naturæ viribus, an verò divinæ gratiæ auxiliis fultum meruisse affectivam unionem cum Verbo, in medio relinquo. Scribit de Nestorianis Photius Cod. 54. *Afferunt, quandoquidem nostræ Christus natura sit particeps factus, & Deus omnes homines similiter salvos fieri velit, unumquemlibet etiam per arbitrii libertatem proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere; idcirco non genitum esse Verbum, sed eum, qui ex Mariâ natus est ob naturalis voluntatis dignitatem habuisse Verbum concomitans cum solâ istâ nobilitate, & eadem appellatione communicaret cum ratione filiationis.* Quare Nestorii discipuli Pelagianum dogma sorbuerunt, Magistro interim palam Pelagii paradoxa non adstruente; hic enim ex literis Zosimi ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum, itemque ex Synodo Theodori ejusdem Urbis Antistitis, cui & ipse tunc Presbyter interfuit, eadem damnata cognoscebat.

CAPIT V.

Semipelagiani ab Augustino, & Prospero confutari. Quàm honorificè uterque de eisdem loquatur. Germanus Antiodorensis, ac Lupus Trecentis à Synodo Gallicanâ in Britanniam contra Pelagianos delegantur.

^{Anno} 429. Interea Semipelagiani in Galliis ducibus Cassiano, ac Monachis Lerinensibus sententiam Sancti Augustini de gratiâ prædestinatione tum ad fidem, tum ad gloriam acerrimè insequerantur. Passim cuncti in illorum sententiam pedibus ibant, atque ubique

ubique Augustinus uti novorum dogmatum assertor traducebatur; nam, ut scribit Prosper, Augustini libros contra Pelagianos editos non in omnibus recipiebant, sed *contrarium putabant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputaverat.* Delato verò in Gallias auro Sancti Doctoris Libro de Corrept. & Gratiâ, quo Africanos Semipelagianos Adrumeti exorientes suffocaverat, novis veluti plagis percussi hostes averiores longè evasere. Eorum sententiam ita describunt Prosper, & Hilarius in literis ad Augustinum. Prædestinationem antè prævisâ merita ex mero Dei beneplacito, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre, eò quòd utrâque parte superfluis sit labor, si neque rejectus in gloriam ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentia indè possit excidere. Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si eo pacto divina constitutio humanas præveniat voluntates, ac sub prædestinationis nomine fatalem necessitatem induci. Possent homines propriis viribus quærendo, pulsando, petendo divinam opem promereri; paratam omnibus æqualiter salutem, quantum ad Deum pertinet, at ab his apprehendi, qui Deo spontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. Postremò molestè ferebant ita dividi ab Augustino donum perseverantiæ, quæ tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quâ fieret, ut perseveraret, sed finè quâ per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis ad regnum prædestinationis non solum dari illud adiutorium, sinè quo perseverantes esse non possint, sed tale, ut non nisi perseverantes sint. Hæc illis sententia stabat. Sed non deerant in Galliis, qui Augustini, imò diviniæ gratiæ partes adversus Semipelagianos defendendas susciperent. Horum Princeps fuit Prosper Aquitanus, qui in Europâ Africani nostri Doctoris veluti vices sustinens unum se universis hostibus opposuit, ac luculentissimis scriptis eorundem furorem non semel compescuit. Huic focium se dederat Hilarius Augustini quondam in Africâ discipulus, qui vulgò Arelatenis dictus est, sed an ab aliquo, qui cum ejusdem nominis Episcopo Arelateni illum confuderit, ea illi patria data sit, in incerto est. Quantos verò Augustinus in Galliis sectatores habuerit, non una videtur Prosperi sententia; Etenim in Epistolâ ad Augustinum paucos sanè illos fuisse testatur his verbis: *Nec facile quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus amatores tantis superiorum disputationibus ausus est contraire.* Alibi verò in Epistolâ ad Rufinum Augustini sectatores plurimos fuisse scribit: *In his ipsis locis, in quibus adversus eum, nempe Augustinum, querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris Corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur.* Plurimi Sancti Doctoris sententiam sequebantur, qui tamen cum iis, qui eandem rejiciebant, comparati pauci censebantur; adeò Cassiani sectatorum opinio prævalebat. Sanè Prosper adversariorum Augustini auctoritate, atque vulgari de eisdem opinione penè se obrutum fatetur in Epistolâ ad Augustinum; Ita ibi loquitur: *Possumus quidem ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo Sacerdotii honore supereminent.* Quibus

planè designat Hilarium Monachum Lerinensem nuper electum Episcopum Arelatensem. Prosper verò, ac Hilarius inito consilio Augustinum de iis, quæ contrà ipsum adversarii in Galliis moliebantur certiore per literas reddendum decrevere, idque sinè morâ executi sunt: literarum compendium initio præsentis capitis dedimus; leguntur verò Epistolæ utriusque præfixæ Libro de Prædestinatione Sanctorum Tom. 7. Hæc literas Baronius scribit datas anno 426. ad quem Vossius etiam accessit lib. 6. Histor. Pelag. thesi 14. & nuper Aloysius Torellus in Sæculis August. ad eundem annum num. 39. Sed cum in literis Prosperi dicatur Hilarius Episcopus Arelatenis, qui anno 429. ineunte in illius Urbis cathedrâ sedere cœpit, addatque idem Prosper adversariorum nonnullos nuper Episcopatum adeptos, apertè eo ipso anno 429. datas non ambigimus. Verum alitundè etiam sententia illa rejicitur; nam anno 426. Sanctus Doctor libros Retractionum inchoavit, quos anno tantum seq. 427. consecisse consentiente Baronio dictum est; postea quatuor libros Operis Imperfecti contrà Julianum scripsit, ac reliquorum operum retractionem, quam dum profequitur, literas hæc ex Galliâ accipit, quæ lib. 1. cap. 24. ipsius Sancti Doctoris testimonio confirmavimus.

Augustinus his acceptis, quæ per Galliam adversus suos libros publicabantur, intermissis cæteris luculentissimam responsionem adornavit duobus libris distinctam, quos Hilario, ac Prospero inscripsit. In horum primo, quem de Prædestinatione Sanctorum nuncupavit, docet Semipelagianos caligare in quæstione de prædestinatione Sanctorum, nec recedere eos à Pelagii sententiâ, si humani arbitrii viribus initia fidei adscribant: incrementum certè ejusdem Deo dare superbiæ esse, quasi vellent priores sibi partes tribuere, posteriores Deo. Nil novi se obrudere, sed quæ Cyprianus, atque Ambrosius antè docuerant, nempe fidem esse à Deo, quod se quoque olim negasse fatetur; prædestinationem ponere quidem, non autem supponere nostra merita. Deum adeò esse justum in aliquibus tantum prædestinandis, ut etiam si omnes eo originalis culpæ reatum à gloriâ excludisset, nullo posset jure culpâri. Neminem vel præmio affici à Deo, vel supplicio ob ea, quæ si diù vixisset, bona, vel mala patraffet. Prædestinationem sinè meritis non solum apertè ex Apostoli Epistolis deduci, verum etiam ex Christo Domino præclarissimo gratuite prædestinationis exemplari. In posteriori verò volumine, quod de *Dono perseverantiæ* dictum est, tradit, perseverantiam in bono esse donum Dei: gratiam aliquibus à Deo dari, quia misericors est, aliis negari, quia justus est. Cur unus salvetur altero pereunte secretis Dei judiciis reservari, id tamen evidentè in parvulis apparere. Sententiam de prædestinatione sinè meritis non evacuare correptiones, non torporem, non desperationem incutere, nihil se novi procudere, sed quæ dudum adversus Pelagianos in Epistolis ad Sixtum, ac Paulinum Nolanum, & longè antè in quæstionibus etiam ad Simplicianum Episcopum Mediolanensem tradiderat. Prædestinationem congruâ ratione esse populis prædicandam. Perseverantiam usque in finem solis prædestinatis dari, quorum nullus perit, eorundem numero apud Deum stabilito. Hæc quidem ille. Cæterum hisce duobus libris diù à Gallicanis Doctoribus contradicendum est, donec tandem ab Hormisdâ Papâ laudati pari cum reliquis auctoritate, ac reverentiâ excepti sunt, de quibus suo inferiùs loco dicetur.

Dum hæc in Africâ scribuntur, Prosper à Rufino viro amicissimo literas accepit, quibus quid contra ipsum, atque Augustinum passim sargebatur, significabat. Prosper è vestigio eruditissimam Epistolam reposuit; Illud erat calumniarum compendium: *Augustinum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem; adjucentes etiam duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, ut scilicet tantæ pietatis Viro Paganorum, & Manichæorum adscribatur impietas.* Hunc Rufinum Gabriel Vasquez 1. p. disp. 91. c. 5. num. 74. spisso nimium errore accepit pro Rufino illo Aquilejensi amicitia, & odio postea in Hieronymum satis celebris, hic enim jam antè viginti annos in Siciliâ occubuerat. Cæterum eâ in Epistolâ Prosper totus in præconia sui Augustini effusus ejusdem calumniatores sic perstringit: *Magnâ enim gloriâ suâ humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint, nisi fortè modesti homines, novique censors magnorum prius meritorum seu honorabiliter, & misericorditer parcunt, & securi, quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt, atque ignoverint. Imò noverint non solum Romanam, Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrinâ hujus viri, sicut in totâ fide, ita in gratiæ confessione congruere.* Ex his liquet, laudatam Epistolam scriptam esse vivente Augustino. Ibidem verò reprobans adversariorum sententiam de initio fidei ex viribus naturæ, illaque Apostoli *Deus vult omnes salvos fieri congruâ explicatione interpretatus hunc Epistolæ colophonem imponit: Tu autem dilectissime, & venerandissime mihi frater, si verè de his questionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis Beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitendâ Dei gratiâ defæcatisimam, ac saluberrimam Evangelicâ, Apostolicâque doctrinâ intelligentiam consequaris.*

Tim. 2.

Scire tamen interest, quàm honorificè Sanctus Augustinus, ac Prosper de Semipelagianis locuti sint, non enim illos Augustinus hæreticos, sed fratres, ac dilectores suos appellabat, atque inter Catholicos numerabat, licet in aliquo ab ipso dissiderent, nempe in asserendâ gratuitâ prædestinatione sive ad fidem, sive ad gloriam. Hinc in fine Libri de Dono perf. ait Sanctus Pater: *Hoc Pelagianis optamus, ut habeant, istis autem nostris, ut plenius habeant.* Item: *Oremus dilectissimi, oremus, ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximèque FRATRIBUS, ET DILECTORIBUS nostris intelligere, & confiteri post ingentem, & inefabilem ruinam, quâ in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari.* Et initio statim lib. de Præd. Sanctior. *Consideratis enim literis vestris videre mihi videor eos FRATRES, pro quibus geritis piam curam, ne teneant poeticam sententiam, quâ dictum est, spes sibi quisque &c. Alhuc quippè in questione caligant de prædestinatione Sanctorum.* Et in fine cap. 20. vocat eosdem BONA INGENTIA. Eos verò & Catholicos fuisse, & Pelagianum dogma averfatos his tradit cap. 14. *Quocirca non debent FRATRES NOSTRI, qui nobiscum pro Catholica fide perniciem Pelagianis erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantum favere opinioni &c.* Prosper etiam in Epistolâ ad Augustinum ait: *Possumus quidam ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus parcs, quia multum nos & vitæ meritis antecellunt &c.* Et antea: *Hoc totum ab ISTIS SANCTIS intentiossimè conclamatur.* Mortuo autem Augustino, ejusque libris à Cælestino approbatis, cum videret Prosper adhuc Cassianum, Hilariū, aliosque pertinaciter Sancto Doctore refragari

severioribus dictis eosdem excepit, nam calumniatores *Lupos occultos, Hypocritas* illos ignominia causâ appellavit in Opere contra Collatorem.

Itaque Hilarius, ac cæteri Episcopi, quos *honoribus claros* Prosper dicebat, hoc ipso anno, licet in aliquo ab Augustino dissiderent, adversis tamen Pelagianis missâ in Britanniam legatione Catholica Reipublicâ egregiam operam navarunt. Hujusce rei narrationem Constantius Presbyter suis de vitâ Germani Antifiodorensis commentariis inferuit, à quo illam Ado, Beda, cæterique mutuarunt. Agricola quidam, ita enim vocabatur, Severiani Episcopi Pelagiani filius in Britannia Pelagii dogma disseminaverat, & teste Anonymo Scriptore Libelli de Gestis Lupi Trecentis apud Surium die 29. Julii universam Insulam ea pestis infecerat. Severianum hunc Episcopum cum Severo Sulpitio nonnulli confundunt, sed perperam; nam Gennadius cap. 19. de Scriptor. Illust. illum quidem tradit in senectute à Pelagianis deceptum, attamen testatur eundem etiam resipuisse: *Hic, inquit, in senectute suâ à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Magno in discrimine Britannica Ecclesia versabatur, nam cum Pelagianorum doctrinam recipere nollet, eorum tamen argumentis facere satis non poterat; etenim Hæresis magistri in Britannia aderant illis in quæstionibus longo tempore exerciti.

Cælestius egerat per amicos apud Cælestinum Pontificem, ut denuò audiretur, questus indiscussâ causâ se, suosque à Zosimo esse damnatos. Verùm Cælestius non modò adversantem Cælestinum expertus est, sed ab eodem universâ Italiâ ejectus fuit; illum autem unâ cum collegis in Britanniam se recepisse nonnulli contendunt ex Prospero in lib. contra Collat. cap. 41. ubi cum illum Italiâ à Cælestino pulsum dixisset, ejusdem Pontificis adversus Pelagianos gesta profecutus addit: *Nec verò seigniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani.* Video tamen posse etiam ista accipi, ut originem notent hæresis, non verò hæreticorum, à quibus primitus illa derivavit; sed nec volo, nec vacat de his disputare. Illud modò certum sit, Britannias pravo dogmate à Pelagianis infectas, quorum Princeps Agricola teste Prospero, qui nec Cælestium subiciisset, si Agricola suppetias allaturus illuc navigasset. Britanni cum per se Hæreticos refutare non possent, à Gallicanis Episcopis subsidium implorare decreverunt. Horum legatione in Gallia intellectâ cogitur magna ait Beda lib. 1. Hist. Angl. cap. 17. Synodus, quam numerosam etiam Constantius lib. 1. cap. 19. appellat, in quâ omnium suffragiis Germanus Episcopus Antifiodorensis, & Lupus Trecentis Legati in Britanniam adversus Pelagianos destinantur; Hos inter Patres non modò fuit Hilarius, sed licet juvenis ob doctrinæ famam inter primos habitus est. Plerosque horum Episcoporum cum Semipelagianis sensisse, atque eâ in disputatione, quæ de prædestinatione agitabatur, Augustino adversatos colligo ex Prospero in Epistolâ ad Augustinum hoc ipso anno exaratâ, ubi ait *paucos perfectæ gratiæ amatores eidem adstipulatos.* Alii credent Vasquo 1. p. disp. 91. cap. 8. num. 43. dicenti: *Horum Massiliensium dux fuit Cassianus, quem secuti sunt per Galliam Episcopi ferè omnes suæ ætatis.* Hanc Synodum Gallicanam circâ autunnum hujus anni

anni celebratam deduco; nam Constantius lib. 1. cap. 19. ubi de Episcopis à Synodo in Britanniam destinatis ait: *Et quanto necessitas laboriosior appareret, tanto eam promptius devotes devotissimi susceperunt, celeritatem negotii fidei stimulis maturantes.* Ex auctore vero Vitæ Lupi constat, eos profectos hyeme inceptâ apud Surium laudatum: *Qui uno, inquit, spiritu juncti, & pari voluntate concordēs terribiles Oceani fluctus temporibus hybernis mari se committentes, orationum gubernaculis mitigarunt.* Quare cùm statim post Synodum iter susceperint, ac hyeme jam incumbente Oceanum transfretarint, exeunte autumno Gallicana Synodus soluta est. Hanc legationem Britannicam accidisse hoc anno 429. auctor est Prosper in Chronico Consulibus Florentio, & Dionysio, & ex scriptore Vitæ Lupi eruditè idem colligit Baronius, nam Lupum sub Honorato cœnobium Lerinense petiisse scribit, ac per annum ibidem degisse. At Eucherius in Oratione de laudibus eremi misâ ad Hilarium anno 427. ut probabimus cap. 11. ubi de Vincentio Lerinensi disputabimus, scribit, Lupum Lerinam deseruisse, cùm Trecentis Ecclesiæ regimen suscepit, quâ in dignitate biennio exacto legationem ad Britannos peregrisse idem Anonymus affirmat, ex quibus manifestum est, ejusdem legationem hoc ipso anno 429. contigisse. Itaque hyeme ingruente uterque Episcopus Britannicum iter suscepit, at vix è Gallico littore in altum navis evehctâ est, cùm fœdâ tempestate obortâ vicina naufragiis videbatur, sed Germani precibus furenti pelago malacia datur; eam verò procellam à se concitatam Dæmones postea facti sunt ex Constantio lib. 2. cap. 10. Interim eorum adventu per insulam publicato, ingens recti dogmatis assertores consolatio occupaverat, Pelagiani verò latebras querere, moras necere, varia comminisci, ne publicæ disputationis aleam subirent. Cæterum cùm ex silentio, ac timore sectam in dies minui cernerent, plerisque ad Catholicorum partes transeuntibus, pudore, simulque transfugarum jacturâ in publicum tandem erumpere coacti sunt, ac publicâ collatione rem cum Legatis decidere. Porro quo fastu, ac pompâ illi in literariam arenam descenderint, fufius describit Constantius in libro 1. de Vitâ Germani cap. 23. libeat ipsius disputationis formam ejusdem verbis audire: *Primo in loco, inquit, beatissimi Sacerdotes præbuerunt adversariis copiam disputandi, quæ solâ verborum nuditate diu inaniter & aures occupavit, & tempora; deinde Antistites venerandi torrentes eloquii sui cum Apostolicis, & Evangelicis tonitruis profuderunt; miscbatur sermo proprius cum divino, & assertiones violentissimas lectionum testimonia sequebantur: convincitur vanitas, perfidia confutatur, ita ut ad singulas verborum objectiones reos se, dum respondere nequeunt, fateantur; Populus arbiter vix manus continet &c.* Inter hæc autem populi acclamationes Tribunus quidam filiam luminibus orbatam Sanctis Episcopis sanandam obtulit. Illi verò rei difficultatem objicere, reos se, ac miraculorum patrandorum gratiâ indignos contestari, Pelagianæ sectæ Doctoribus, quibus cum disputabant, tanti prodigii gloriam integram relinquere. Pelagiani eventûs difficultate perterriti conscientiâ stimulante Germanum etiam, atque etiam rogarunt, ut oculorum usum puellæ restitueret. Germanus, quò mirabili eventu suam de divinâ gratiâ doctrinam confirmaret, Divorum reliquias puellæ admovit, cui statim lumen restituit, simulque parentibus, ac Catholicis lætitiâ, Pelagianis timorem ingessit. Cùm verò paulò antè Pa-

schalia festa Britannia Pictorum, ac Saxonum incurfionibus vastaretur, Germanus Insularum precibus motus exercitui se se ducem præbens, ubi acies in hostium conspectum venit, ut iterato portento divinæ gratiæ virtutem ostenderet, suis injunxit, ut altiori voce *Alleluja* conclamarent, quâ sacrâ voce totis castris personante barbari conterriti fugæ se statim dedere, ac insignem eâ die Britannis victoriam reliquerunt. *Compositâ itaque, ut ait Constantius, opulentissimâ insulâ securitate multiplici superatisq; hostibus vel spiritualibus, vel carne conspicuis, quippe qui vicissent Pelagianistas, & Saxones, cum totius numero regionis reditum moliantur.* Et hunc quidem exitum habuit Britannica Germani legatio, quâ ille egregiè, feliciterque defunctus Antifiodorum reversus est.

CAPUT VI.

Julianus, ac collega Ex-Episcopi Pelagiani Theodosii Imperatoris, ac Cleri C.P. patrocinium implorant. Marius Mercator Commonitorium Principi, ac Clero contra eosdem offert. Idem Commonitorium ex codice Vaticano recitatur, ex quo tempus damnati apud Constantinopolim ab Attico Cælestii exactius traditur, ac pleraque alia scitu digna colliguntur.

Nestorius ingentes Constantinopoli turbas ciebat commentus duas personas in Christo, quarum unam, nempe humanam propriis meritis unionem cum Verbo non physicam illam quidem, & hypostaticam, ut Scholastici loquuntur, sed penes affectum tantum affectum contendebat. Hac inflatâ meritorum tubâ ex Oriente personante Pelagiani Ex-Episcopi turbidis rebus sua promoturi è vestigio Constantinopolim se contulerant omnem Nestorio operam navaturi, nec contempndos Nestorius putabat hos veteranos Duces, qui jam diu humanis meritis adversus Dei gratiam militaverant. Erant hi Florus, cui Julianus octo contrâ Augustinum libros nuncupaverat, Orontius, qui auctor fuerat Anniano Pelagiano, ut Chrysofomi homilias Latio donaret, nescio quis Fabius, itemque Persidius, & totius manipuli ductor Julianus. Hos quidem antea Nestorio cognitos arbitror, ex unâ enim cum eisdem Theodori Mopsuesteni scholâ eruperat. Hos omnes suis è cathedris ejectos Apostolica Sedes solum vertere coegerat, at illi Constantinopolim appulsi Imperatoris patrocinium implorare, Nestorio dogmatum veritatem ostendere, Cleri universi suffragia corrogare, universam denique regiam urbem querelis, ac ejulatibus complere. Aderat hoc anno Constantinopoli Marius Mercator Sancti Augustini amicus, ut lib. 1. cap. 9. & 17. ostendimus, qui Pelagianorum conatibus probè cognitis veritus, ne homines totâ arte fallendi præditi Principi, atque Ecclesiasticis fucum facerent, commonitorium scripsit, in quo ubique gentium contrâ Pelagianos gesta tum in Africâ, & Asiâ, tum in Europâ paucis exposuit, quod Theodosio postea, ac Clero obtulit. Hoc Mercatoris Commonitorium Lucas Holstenius V. C. ex Palatino codice num. 234. pag. 36. exscriptum eximio P. Magistro Christiano Lupo anno 1655. præsentè ostendit; quare cùm ex hoc libello pleraque hucusque in Pelagianâ causâ ignota intelligantur, & sæpius in hac historiâ eundem laudaverimus, operæ pretium duxi idem commonitorium subdere, & Mercatoris nostri scripta è bibliothecarum angulis eruta

eruditiorum oculis postliminio tandem subicere, in quo nonnulla præmittuntur, quæ addidit, cum post biennium illud in latinum sermonem vertit post celebratam anno 431. Synodum Ephesinam.

Commonitorium Marii Mercatoris non solum Ecclesiæ C. P. sed etiam plurimis religiosissimis viris, oblatum quoque piissimo Principi Theodosio semper Augusto per eundem Marium Mercatorem Christi servum in consulatu, Florentii, & Dionysii per quod Commonitorium cognito funestissimo errore imperiali præcepto tam Julianus defensor, & sequax ejus cum cæteris sociis, & participibus suis, quam postea idem Cælestius de Constantinopolitana urbe detrufi in Synodo quoque Ephesienfi ducentorum septuaginta quinque Episcoporum sententiâ postmodum in præfenti damnati sunt.

Commonitorium Marii Mercatoris contra Pelagianos.

Cælestius quidam Eunuchus matris utero editus antè viginti plus minus annos discipulus, & auditor Pelagii egressus ex urbe Romanâ Carthaginem Africa totius Metropolitim venit, ibique de infra scriptis capitulis apud Aurelium Episcopum memoratæ urbis per libellum à quodam Paulino Diacono sanctæ memoriæ Ambrosii Mediolanensis Episcopi est accusatus, sicut gestorum confectio se habet, quibus idem libellus insertus est, quorum gestorum exemplaria habemus in manibus; tanquam hæc non solum ipse doceret, sed etiam per provincias confpirantes sibi diversos, qui hæc per populos disseminarent, misisset: idest *Adam mortalem factum, qui sine peccaverit, sine non peccaverit, moriturus fuisset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum lesit, & non genus humanum. Quoniam parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit antè prævaricationem. Quoniam neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Quoniam lex sic miruit ad regnum cælorum, quomodo & Evangelium. Quoniam & antè adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, idest sine peccato.* De quibus omnibus capitulis supra scriptis insertis partibus Synodali gestorum Patres, & Episcopi regionis illius resisterunt Cælestio, & iusserunt, ut eadem condemnaret, quia essent hæretici sensus; sed Cælestius nullo modo acquiescens, quin imò resistens actis iisdem, quibus frequenter auditus est, Ecclesiasticâ communionem privatus est, à quâ sententiâ ad Romani Episcopi examen credidit appellandum; quâ mox ipse appellatione neglectâ Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterorum petere. Indè post aliquantos annos sub S. memoriæ Attico Episcopo urbem C. P. petiit, ubi in similibus detectus magno studio sancti illius viri ex prædictâ almâ urbe detrufus est, literis super ejus nomine & in Asiâ, & Thesaloniam, & Carthaginem ad Episcopos missis, quarum exemplaria habentes proferre sumus parati. Prædictus tamen Cælestius etiam hinc egestus ad urbem Romam sub sanctæ memoriæ Zosimo Episcopo totâ festinatione perrexit, ubi actis, quorum exemplaria habemus, interrogatus, cum ab illo Cognitore aliquatenus tereretur, crebris responsionibus, & prosecutionibus suis spem profeminavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim instantius jubebatur, ab

eoque vehementius, ut id faceret, expectabatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti Sacerdotis humanitate dignus est habitus, & sic Epistolam quandam beniginitate plenam ad Afros Episcopos meruit, quâ ille abusus est, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem. Episcopis vero ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, missis etiam gestis exindè, quæ fuerant antè, cum illo videlicet de illo confecta, vocatur ad audientiam pleniorum, ut quæ promiserat, festinanter impleteret, idest ut damnatis prædictis capitulis, sententiâ Afrorum Pontificum, quâ fuerat communione privatus, absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memoratâ Urbe profugit, atque ab hoc à beatæ memoriæ prædicto Zosimo Episcopo scriptis amplissimis, vel longissimis prædamnatus est, in quibus & ipsa capitula, de quibus accusatus fuerat, continentur, & omnis causa tam de Cælestio supra scripto, quam quæ de Pelagio magistro ejus praviore videretur esse, narratur, quorum scriptorum & nos hic habemus exemplaria, & ad Orientales Ecclesias, Ægypti dioccesim, & Constantinopolim, & Thesaloniam, & Hierosolymam similia, eademque scripta ad Episcopos transmissa esse suggerimus. Ut autem & Pelagius cum isto pariter damnaretur, istud in causâ est. Ausus est memoratus antè vastationem urbis Romæ in Apostolum Paulum commentarios condere, & his edere, de quorum amicitia præsumebat, explanare autem reputavit singula Apostoli verba, vel sensus.

In Epistolâ igitur, quæ est ad Romanos, cum ad illa loca venisset, ubi vas electionis ita loquitur. *Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, hæcenus credidit exponendum, quem librum ejus habemus in manibus, & proferimus ad convincendum inimicum ejus errorem; ita ergo idem ait: PER UNUM HOMINEM PECCATUM INTRAVIT IN MUNDUM, ET PER PECCATUM MORS: exemplo, inquit, seu imagine usus est, quia sicut cum non esset peccatum, per Adam subintravit, sic & cum non remansisset justitia apud aliquem, vita per Christum reparata est, & IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT, cum sic, inquit, qui peccant, similiter & moriuntur, neque enim aut in Abraham, ac Isaac, aut Jacob mors pertransiit, de quibus Dominus ait, HI OMNES VIVUNT, hic autem propterea dicit omnes mortuos, quia in multitudine peccatorum non excipiuntur pauci justi, sicut & ibi inquit, NON EST, QUI FACIT BONITATEM, NON EST USQUE AD UNUM. Et iterum illud inquit, OMNIS HOMO MENDAX. Aut certe in illos omnes pertransiit, inquit, qui humano ritu, non cælesti sunt conversati. Et post pauca: SED REGNAVIT MORS AB ADAM USQUE AD MOYSEN ETIAM IN EOS, QUI NON PRAEVARICAVERUNT IN SIMILITUDINEM PRAEVARICATIONIS ADAE, sive cum non esset, inquit, qui interustum, & injustum discerneret, putabat mors se omnium dominari, sive in eos, qui mandatum tanquam Adam prævaricati sunt; hoc est de filiis Noe, quibus præceptum est, ut animam in sanguine non manducarent, & de filiis Abraham, quibus circumcisio mandata est, sed & in eos, qui præter mandatum legem contempserant naturalem. QUI EST FORMA FUTURI: Quia, inquit, sicut Adam præter coitum à Deo formatus est, sic & Christus ex virgine fabricante Spiritu S. processit; sive sicut quidam dicunt, forma à contrario, hoc est, sicut ille caput peccati, sic iste caput justitiæ sit. SED NON SICUT DELICTUM ITA ET DONUM: ne in formâ, inquit, equalitas pararetur. SI ENIM IN UNUS*

Rom. 5

Luc. 20

Psal.

13.

Psal.

115.

Rom. 5

Ibid.

Ibid.

PRÆ-

PRÆVARICATIONE MULTI MORTUI SUNT, MULTO MAGIS DONO, ET GRATIA DEI PER UNUM HOMINEM CHRISTUM IN MULTOS ABUNDAVIT. Plus valuit, inquit, Apostolus, gratia in vivificandum, quam peccatum in occidendo, quia Adam se solum, & suos posteros interfecit, Christus verò & eos, qui tunc erant in corpore, & hos, qui postea futuri erant, liberavit. Hic sollicitus Catholicus Lector notet, quid dicat, Adam non sibi soli, sed & posteris suis nocuisse; Tene superiorem definitionem ejus, posteros enim hic dicit, non omnes omnino, & ubique totos homines læsos illius peccato, sed illos tantum, qui per imitationem similiter suis peccatis, & propriis facti sunt in prævaricationem, sicut Adam, quia sine dubio ii ipsi nepotes ejus, & posterii esse inveniuntur; *Hi autem, inquit, qui contra traducem peccati sentiunt, aliter eos, qui defendunt traducem, impugnare conantur: Si peccatum, inquiunt, Adæ etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia non credentibus prodest, quia similiter imò plus dicit Apostolus, per unum liberari, quam per unum antè perierunt. Deinde dicunt, inquit, si baptismus mundat antiquum illud, veteris quoque peccatum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc careere peccato, non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Ita hoc addunt, inquit, quia si anima non est ex traduce, sicut nec est, sed sola caro habet traducem peccati, sola & penam meretur, injustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet alienum, quia nec rationale est, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum.* Et iterum in alio sermone suo idem Pelagius: *Si peccator genuit, inquit, peccatorem, ut parvulo ejus peccatum originale in baptismi acceptione solvatur; justus ergo justum gignere debuit. Si parentes, inquit, post conversionem propria peccata non lædunt, multo magis filii eorum per eos nocere non potuerunt. Si priorem hominem contigit causam mortis fecisse, ergo per Christi adventum mori jam non oportebat. Si per peccatum Adæ mors orta esset, nunquam post remissionem peccatorum, quam nobis Liberatores donavit, moreremur. Plus ergo valuit peccatum Adæ omnes omnino homines occidendo, quam Christi gratia in salvando, quæ non omnibus, sed tantum credentibus profuit, neque enim omnes, qui nascuntur ex Adæ, ii etiam resuscitantur in Christo, & reliqua; Quæ omnia supra scripta capitula, ut jam superius dictum est, continet illa beata memoria Episcopi Zosimi Epistola, quæ Tractoria dicitur, quæ Cælestius, Pelagiusque damnati sunt, quæ & Constantinopolim, & per totum Orbem missa subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata. Cui Julianus, & reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati ex omni Italia deturbati sunt, ex quibus plurimi respicientes, & à prædicto errore correcti regressi sunt supplices ad Sedem Apostolicam, & suscepti suas Ecclesias repperunt. Prædicti sanè Cælestius, & Pelagius non tunc primò à Sanctæ mem. Zosimo videntur esse damnati, sed ab ejus Decessore sanctæ recordationis Innocentio, à quo & Julianus fuereat ordinatus, quique post illorum damnationem usque ad prædicti Innocentii Episcopi excessum è vitâ in ejus communione permanens, & perseverans in sincerâ sententiâ, & communicans damnatori prædicto cum ipso quod sine dubio Pelagium, Cælestiumque damnavit. Et quid nunc desiderat, aut de quo queritur, ignoratur. Ut autem à sanctæ recordationis Innocentio*

damnaretur, talis extitit causa. Post Romanæ urbis vastationem in Palæstinâ degebat Pelagius; inventi sunt à quibusdam studiosis Episcopis libri ejus, in quibus multa, & varia adversus fidem Catholicam conscripta esse videntur; hi cum literis in Africam Patribus, & Episcopis missi sunt, ubi tribus Conciliis congregatis memorati lecti sunt libri; exinde relationibus Romanæ missis ipsis quoque libris pariter destinatis, Apostolica sententia rescribens ad prædicta concilia emanavit, quæ eisdem ipsos Cælestium, Pelagiumque Ecclesiasticâ communione privavit; quorum scriptorum exemplaria habemus in manibus. Adhuc etiam Hierosolymis constitutus Pelagius accusatus apud Synodum, & primò quidem tergiversando ambiguis quibusdam se professionibus tegens, & prosequens dubia, vel respondens, illam tunc videtur Episcoporum audientiam delusisse; sed postmodum evidenter deprehensus insistentibus accusatoribus à posteriore Synodo, cui S. mem. Theodotus Antiochiæ præsedet Episcopus, atque detectus, à sanctis quoque, ac venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus; eisdemque Sancti Theodoti ad reverendissimum Urbis Romæ Episcopum, & sanctæ recordationis Præli Hierosolymitani Episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus. In ipsâ autem accusatione capitulorum, quæ eidem tunc Pelagio objecta sunt, etiam hoc continetur cum aliis execrandis, quæ Cælestius tantum ejus discipulus sentit, id est, quod *infantes, etiam si non baptizentur, habeant vitam æternam.* Illud quoque quod superius positum est capitulum sentiri à Cælestio, & esse consentaneum Magistri sui doctrinæ memoravimus, id est, *legem sic mittere ad regnum cælorum, sicut Evangelium,* Pelagius quibusdam scriptis suis apertè confirmat, atque pronunciat. Denique libellus est ejus, quem habemus in manibus ad quandam Livianam viduam sermonem continens exhortatorium, in quo hæc habentur: *Simplicitatem sequi Christi famulam decet, non hanc, quæ stultitia magis est, quam simplicitas, sed illam, de qua Scriptura dicit: benedicta anima omnis simplex; dicente alibi Scripturâ: maledictus omnis homo, qui non* Calat.
permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, 3.
ut faciat ea; *hinc, inquit, ostenditur hanc esse simplicitatem veram, non quæ Dei mandatum insensatâ securitate contemnit, sed eam, quæ legis præcepta sapienti timore custodit, dicente enim maledictum esse eum, qui non permanet in his, quæ scripta sunt, à contrario benedictum esse non vult, qui non omnia præcepta servaverit; Et si Omnis simplex benedictus est, ergo simplex ille est, qui omnia præcepta legis impleverit.* Adiere re hunc illud, quod toties jam superius dictum est, ad regnum cælorum libros Moysis, sicut Evangelium mittere, nullus Catholicorum, qui hoc capitulum legerit, dubitat, nec intelligendo difficultatem aliquam poterit sustinere, & quia indiscretim legem in eodem impiissimo capitulo nominavit, scilicet Mosaicam, cujus testimonium maledicti posuit, apertè nos in Judaïsmum adtrahere tentat. Quòd si ad agendam semper fallaciam, legis nomine Evangelium appellat, non errat; sed in eo est impius, in quo sub simili, & æquali nomine maledictio, qui sub Evangelio sumus, constituere non pertimescit exaquans legis circumcissionem, & omni Judaïsmo Evangelicam gratiam; Unde etiam discipulus ejus Cælestius apertè ausus est pronunciare, *legem sic mittere ad regna cælorum,*
I 3 sicut

Galat. 3. *sicut Evangelium manifestum est enim secundum Pelagium, quia si sub eodem, vel etiam simili adhuc sumus vinculo etiam sub Evangelii tempore, ut si quid tanquam homines erraverimus, aut unum de præceptis Evangelicis non impleverimus, esse nos maledictos; quod si ita est, quod absit; jam ut ille vult sit dictum, exæquatum est legi veteri Evangelium, at ubi erit dictum Pauli Apostoli: *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis homo, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Quin etiam subdescendens hunc ipsum sensum latius in eodem sermone libelli hujus exequitur, & latius eum commendat, post multa enim ibidem maledicere, & invidere, mentiri, detrudere, & detrahentibus credere leve, aut nullum putatur esse peccatum, sed hi, qui hoc putant, obliiti sunt, quia ob levis præcepti transgressores obnoxios gehennæ legimus esse mancipandos, cum, inquit Dominus manifestum est: *Quicumque dixerit fratri suo fatue, vel Raca, reus erit gehennæ.* Hos igitur in ejusmodi impiissimis erroribus deprehensos, Pelagium scilicet, & Cælestium ad satisfactionem Ecclesiæ Julianus, & ceteri sui participes vel modò condemnent, & si quos confidunt adversus Catholicam fidem non rectè sentire, nominatim designare non dubitent, & Ecclesiastico ordine à nobis accipient pro nostrâ possibilitate responsum, aut ab eo certè, quem dicunt à sensu Catholico deviare; sicut enim in supernis præfati sumus, jam multi, qui Cælestium, & Pelagium cum eo fuerant secuti, Juliani quoque participes, & socii facti derelicto eo, Pelagioque damnato Sedi se Apostolicæ submittentes, & penitere super his, quæ malè senserant, profitentes à Sanctis Patribus digni habitui miseratione suscepti sunt. FINIS.*

Matth. 5. *Nonnulla hic nobis notanda veniunt, antequàm ad ulteriora gradum faciamus. Scribit Mercator, Cælestium prius ab Attico Constantinopoli ejectum fuisse, quàm Zosimus de eodem Romæ judicaret, cui quidem Scriptori integra fides præstanda est; edidit enim laudatum Commonitorium Constantinopoli, ac præ manibus habuit quæcumque in Pelagianâ causâ ab Orthodoxis ubique terrarum gesta fuerant. Quæ sanè, ut ingenuè fatear, cum minus diligenter observassem, scripsi lib. 1. cap. 20. Cælestium anno 421. Constantinopoli ab Attico auditum, atque inde procul detrusum, cum tamen ex Mercatore colligatur, eundem ab Africanis Synodis anno 416. & incunte anno 417. ab Innocentio quoque Pontifice hæreseos damnatum Constantinopolim statim perrexisse, ut causam coram Attico restauraret, cum quo Innocentius Papa dudum ob eorum è diptychis Chrysofostomi nomen longiores lites habebat. Non enim anno 412. Atticus in Romanæ Ecclesiæ gratiam redierat relato in sacras tabulas Chrysofostomo, ut putavit Baronius; nam Innocentius Papa in Epistolâ 16. ad Maximianum Episcopum scriptâ post peractam anno 414. in Macedoniâ Synodum, ut eruditè notavit magnæ lectionis vir Bollandus ad diem VIII. Januarii in notis ad Vitam Sancti Attici, nondum eidem Attico conciliatus fuerat, quem ibidem Pontifex Apostolicarum literarum commercio privatum scribit. Ille usquè ad Bonifacii Pontificatum distulit nomen Chrysofostomi Diptychis restituere, quod se tandem fecisse ad Cyrillum scribit. Etenim plebs C. P. cum accepisset, à Theodoro Antiochiæ Patriarchâ Chrysofostomum in sacris*

tabulis recitari, tumultuari cepit, nec aliâ ratione sedari potuit, nisi audito in Diptychis ejusdem Sancti Episcopi nomine; at Theodotum anno 421. renunciatum fuisse Antiflitem luculenter probavimus superius cap. 4. Hinc factum est, ut Cælestius ab Innocentio damnatus ad Atticum confugerit, quem Romano Pontifici subinsum norat, à quo tamen reiectus auditâ Innocentii morte Romam statim advolavit, uti lib. 1. cap. 12. fusiùs narravimus. Cæterum post Cælestii proscriptionem Pelagianos missâ legatione iterum Attici animum tentasse testatur Prosper in carmine de Ingratis cap. 2.

*Quid loquar & curam, magnâ quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiquâ legatos hæreticorum
Confutando fide, de quâ tunc impia corda,
Quamvis se obductâ tegerent velamine formâ
Judicii, & tacite tulerint tormenta repulsa.*

Ubi Prosper Cælestium jam antea turpiter ab Attico repulsum tulisse scribit, post quam rursus Pelagiani per legatos suam ipsorum causam Attico discutendam obrufere, quam quidem legationem anno 421. contigisse lib. 1. cap. 20. affirmavimus, cujus tamen principem minus rectè Cælestium fecimus, neque enim probabile videtur, hominem antè quadriennium ab Attico judicio exclusum eidem iterum se stitisse.

Verba illa, quæ ex commentariis Pelagii in caput V. Epistolæ Pauli ad Romanos Mercator recitat, haud planè omnia leguntur in expositionibus ejusdem Epistolæ, quæ Hieronymi commentariis adsumta sunt, sed illa tantum priori loco recensita; nam ejusdem ratiocinationes inter hæc signa [] repositæ apud Sanctum Augustinum habentur lib. 3. de Peccatoribus & remissione cap. 3. de quâ re consulantur à nobis scripta lib. 1. cap. 3. Præterea hæc Pelagii argumentationem, *Si anima non est ex traduce (sicut nec est) sed sola caro habet traducem peccati, sola & pœnam meretur*, ita descripsimus, ut assertio ibidem per parenthesis inserta non Pelagium, sed ipsum Mercatorem auctorem habeat; nam Augustinus cap. 3. laudato ita Pelagii verba recitat: *Si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati;* & cap. 10. inde hæc Pelagium commendat: *Attende obsecro te, quemadmodum circumspexit vir Pelagius, nam ex ejus libro, hæc quæ modò posui verba transcripsi, sensit, quàm in difficili de animâ questione versetur; Non enim ait, quia anima non est ex traduce, sed si anima non est ex traduce: additque cunctanter loqui potius, quàm fidenter;* & quidè sine illâ parenthesi in literis encyclicis Zosimi eadem Pelagii sententia damnata fuit teste eodem Augustino Epistolâ 157. ad Optatum: *Nam Pelagii, inquit, de hac re argumentatio, quæ inter alia ejus damnabilia etiam literis Apostolicæ Sedis adjuncta est, ita habet: si anima, inquit, ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem, &c.* Ex quibus patet Mercatorem in eâ de animæ origine quæstione, quæ eâ ætate celeberrima erat, cum Hieronymo sensisse, nempe creari à Deo omnium hominum animas, nisi alienâ manu ea verba commonitorio insarta dicamus; fuit enim Mercator Augustinianæ doctrinæ studiosissimus, quare in eâ difficultate assensum potius cum Augustino suspendisse crediderim, quàm sententiæ de animarum creatione adhæsisse.

Inferimus ex eodem Commonitorio quid Zosimi encyclica contra Pelagium, atque Cælestium contineret; nam literæ illæ intercedere. Etenim insertæ erant Cælestii capitula, de quibus Carthagine accuratus

fatus fuerat coram Aurelio Primate; Pelagii item errores, ejusdemque paralogismi recensebantur, quos suis in Epistolam Pauli expositionibus indiderat. Insuper ex eodem Commonitorio colligimus, Zosimum ad Ecclesias Alexandriae, Antiochiae, & Constantinopolis de Pelagianis abs se damnatis scripsisse. Unde licet Cyrillus, & Atticus id temporis nondum Chrysostomi nomen in diptycha retulissent, uti proxime dicebamus, noluit tamen Zosimus Innocentii vestigiis inhærere, sed eâ diffensione omisâ, eosdem per literas convenit. Cum autem ibidem præmittat, Cœlestio Constantinopoli ab Attico damnato, de ejusdem proscriptione literas ab Antistite C-P. in *Aiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Episcopos missas*, patet id contigisse Innocentio adhuc pontificatum gerente, cum nullæ Attici literæ ad Romanum Antistitem laudentur, quod cum eodem Attico non conveniret. At de Zosimi Epistolâ scribit Mercator: *Quæ & Constantinopolim, & per totum Orbem missa subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata.* Et antea de iisdem Zosimi literis ait: *Et ad Orientales Ecclesias, Ægypti diœcesim, & Constantinopolim, & Theſſalonicam, & Hierosolymam similia, eademque scripta ad Episcopos transmissa suggerimus.* Ex quibus infero, anno primo Zosimi inter Romanam, & Orientis Ecclesiam pacem conflam, pro quâ antea decennium Augustinus cum cæteris Africanis Patribus collaboraverat. Nam in Synodo Honorio VIII. & Theodosio II. nempe anno 407. Carthagine celebratâ legitur hic canon: *Placuit etiam, ut de dissensione Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quod utraque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Est canon 68. in Cod. Concil. Africæ. Hinc apparet supina Marci Antonii de Dominis ignorantia libro 4. de Republicâ Eccles. cap. 8. num. 28. post recitatum eundem canonem scribentis: *Hæc sanè verba Romanam magis, quam Alexandrinam Ecclesiam accusant, & faciunt culpabilem; sed quodnam fuerit hoc dissidium, mihi nunc est ignotum.* Quis autem non rideat ineptum hunc judicem de incognitâ sibi causâ contra Romanum Pontificem sententiam pronunciantem? Ob expunctum è diptychis à Theophilo Alexandrino Chrysostomi nomen controversia erat, in quâ tandem aliquandò Romanæ Ecclesiæ sententia vicit, Chrysostomo ubique gentium Orthodoxarum Diptychis restituito.

Marius Mercator, qui anno præsentis Commonitorii Theodosio Imperatori contra Pelagianos Ex-Episcopos obtulit, scripsit etiam alterum Commonitorium contra Julianum ad Pintam Presbyterum, in quo contra scripta ejusdem in ultimis octo adversus Augustinum libris invehitur, pluribus probans, Adamo non peccante genus humanum haud futurum fuisse morti obnoxium. Scripsit etiam contra Judaicum symbolum Theodori Mopsuesteni, in quo opere tradit Theodorum Juliani, ac Nestorii Magistrum fuisse: verba ejusdem superius dedimus. Hos libellos post annum 430. ab eodem lucubratos inde patet, quod Augustinum *sanctæ recordationis* Episcopum vocat, cujus etiam doctrinam contra Juliani argumenta defendit. Quantum verò hic Scripator Augustino detulerit, colligitur ex his, quæ pag. 12. col. 2. Cod. Palatino-Vaticani num 434. leguntur: *In hunc, inquit, Scripturarum divinarum sensum, in hæc verba juravimus, salvâ sanè reverentiâ, & debitâ honorificentâ sanctæ, & beatæ memoriæ Episcopii Augustini, qui re pastorali clavâ ab Ecclesiâ de-*

terrui, proturbavit, atque confregit. Quasi veniam precetur, quod post Augustinum quidpiam contra Julianum scriptis mandare ausus fuerat. Et pag. 4. ait: *Sanctus autem sæpè dictus Episcopus Augustinus, & suis libris quatuor illius priores evertit, octo quoque posteriores singulis responsionibus suis ad singula capitula sublectis, ac sic vanos ejus, ac plumbeos pugiones malleo Catholica veritatis obtudit, imò confregit.* Erat Mercator græco, latinoque sermone eruditus, sacras etiam literas, ac Patrum statuta adeo percallebant, ut Julianum *sacrantissimum Pelagiani errores assertorem* (ita hæreticum nuncupat Prosper in Chronico) ad certamen Constantinopoli provocaverit, hæc enim in calce Commonitorii pronuntiavit: *Si quos confidunt adversus Catholicam fidem non rectè sentire, nominatim designare non dubitent, & Ecclesiastico ordine à nobis accipient pro nostrâ possibilitate responsum.* Hactenus de Mario Mercatore, ejusque contra Pelagianos scriptis, qui licet diù incognitus in bibliothecarum angulis latuerit, in posterum inter præcipuos divinæ gratiæ, ac Sancti Doctoris defensores ejusdem doctrinæ professoribus serâ quamvis commendatione memorabitur.

CAPUT VII.

Nestorius pro Juliano, ac collegis apud Cœlestinum intercedens ab eodem Pontifice increpatur. Pelagiani Ex-episcopi à Theodosio Imperatore Constantinopoli expelluntur. Augustinus contra Julianum scribens moritur. De eodem elogium, atque epinicia.

I Nierant consulatum Augusti Theodosii XIII. Valentinianus III. nempe anno Christianæ epochæ quadringentesimo trigesimo, qui sanè ater, ac luctuosus Orthodoxis fuit amisso Pelagianorum domitore Augustino. Julianus, ac collegæ Constantinopoli in uno Nestorio illius Urbis Episcopo recuperandarum Sedium spem locabant. Nestorius quidem benignè illos exceperat, ut ex iis, quæ postea secuta sunt, intelligitur, licet eosdem à se rejectos fuisse ad Cœlestinum scripserit. Etenim novum se illismet advocatum pollicitus eorum causam defensusurus iteratas ad Cœlestinum literas dedit. In prioribus autem hæc scripsit: *Julianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius dicentes se Occidentalium partium Episcopos sæpè & piissimum, & prædicatissimum Imperatorem adierunt, ac suas causas destiterunt tanquam Orthodoxi temporibus Orthodoxis persecutionem passi, sæpè eadem & apud nos lamentantes, ac sæpè rejecti eadem facere non destierunt, sed insistent in dies singulos implentes aures omnium vocibus lacrymosis.* Postea nescire se fingit causas, ob quas illi proscripti essent, enixè rogans, ut brevi responso significaret, num forent inter Catholicos numerandi, an cum hæreticis computandi. Hæ Nestorii literæ apud Binium ponuntur datæ III. Idus Augusti Theodosio XIII. & Valentin. III. Coss. qui apertus error est; nam Cœlestini responsio ad hæc Nestorii literas eo ipso die ejusdem anni data significatur, ut mox dicam. Quare antea aliquot menses datæ fuerunt; imò prior Epistola, cujus fragmentum proxime recitavimus, superiori anno scripta videtur, cum Pelagiani Constantinopolim appulsi illius opem, operamque implorarent. At plures eâ de re Nestorium ad Cœlestinum literas dedisse, ex alterâ Hæretici Epistolâ ad eundem intelligitur, in quâ ait: *Sæpè scripsi Beatitudini*

Anno
430.

tue

tua propter Julianum, Orontium, & ceteros, qui sibi usurpant Episcopalem dignitatem, & creberrimam additionem ad piissimum, & praeclatissimum Imperatorem faciunt, nosque concidunt frequentibus lamentationibus, tanquam temporibus Orthodoxis de Occidente projecti. At hucusque scripta de his à tuâ veneratione non suscepimus, quæ si haberem, possem eis respondere, daremque compendiosum responsum luctibus eorum; Hæc novus Pelagianorum advocatus.

Cælestinus Nestorio indignatus, quod Pelagianis Episcopis olim ab Apostolicâ Sede exauctoratis advocacionem commodaret, diutius responcionem distulit; At acceptis à Cyrillo Alexandrino literis, queis Antistitis C-P. contra orthodoxam Ecclesiam conatus significabantur, haud ulterius morandum ratus acres ad Nestorium literas dedit, quibus illum uti veterum hæreticorum patronum, novæque insuper hæreseos auctorem increpuit: *Dudum, inquit, sumpsimus Epistolas tuas, quibus in angusto nihil potuimus dare responsi; erat enim in latinum sermo vertendus, quod cum, licet serò, fecimus, Sancti fratris, & Coepiscopi mei Cyrilli probatissimi Sacerdotis per filium meum Possidonium Diaconum talia de te scripta suscepimus, quibus his, quæ de tuâ ordinatione retulerant, periisse suum testimonium doleremus &c.* Hæreticos de quibus nos, velut eorum, quæ gesta sunt, nescius consulere voluisti, sedibus suis iniusta dicentes expulisti iusta damnatio, quos illic invenisse requiem non putamus esse mirandum, invenerunt enim impiam prædicationem, cuius comparatione se astiment innocentes. Hoc loco, quia oportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus, quod stupemus. Legimus, quàm benè teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseris debitoricem, & eum debitum meritò reddere, qui descendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Nunquam sine suspicione ea, quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea, quæ in eos tunc sunt acta, queruntur, cum certum sit, illinc ad nos à Catholico tunc Antistite Attico gesta directa? Cur non sanctæ memoria Sisinnius ista quaesivit? quia utriusque sub decessore suo probaverat eos iure damnatos. Desse aut infelices spe se hominum fuisse decipios, quibus jam potuit propter communionem sola poenitentia subvenire. Ecce scire de his incipis, si quæ antè nescivisti. Causam tuam magis modò, quàm aliorum Catholicâ, & festinâ deliberatione curato, quia convenienter dicimus: Medice cura te ipsum, qui aliis desideras subvenire. Ibi verò damnato ejusdem Nestorii de Christi Incarnatione dogmate jubet, ut intra decimum diem ab his literis acceptis ad Orthodoxorum sententiam accedat, quod si renuat, anathemati illum subjicit. Data est Epistola Cælestini III. Idus Augusti Theodosio XIII. & Valentiniano III. Augg. Confl. nempe anno 430. Ceterum laudatas literas non rectâ ad Nestorium perferendas curavit, sed per Possidonium easdem ad Cyrillum in Ægyptum misit, qui illas postea Constantinopolim transmitteret: *Quam nostri, inquit ibidem, in te iudicii formulam cum cæteris omnibus chartis, & commentariis per filium nostrum Possidonium Diaconum, cuius supra meminimus, ad Sanctam Cyrillum memoratam Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, qui eâ ipsâ quod de re suscitatus ad nos retulerat, transmisimus, ut noster hæc in parte Vicarius efficiat, quod nostrum decretum & tibi, & reliquis quoque omnibus fratribus patefiat. Hanc verò Cælestini contra Pelagianos Epistolam unâ cum adjunctis postea Cyrilli literis accepit Nes-*

LXXIV.

torius die 6. Decembris, nam in Codice Palatino-Vaticano Num. 234. pag. 22. recitatur sermo quidam Nestorii cum hac epigraphe: *Item ejusdem Nestorii sermo in Ecclesiâ habitus postquam literas Cælestini Romani Episcopi, & Cyrilli Alexandrini denunciationis accepit VIII. Idus Decembris Confl. Theodosio XIII. & Valentiniano III. Augg. post sextam diem, quàm easdem literas sumpsit. Dulcem nobis præcedens Doctor &c.* Verùm antequàm hæc literæ Constantinopolim pervenirent, Julianum cum collegis Urbe regiâ accepto à Mario Mercatore contra eisdem Commonitorio à Theodosio expulsos fuisse, idem Marius testatur pag. 36. memorati Codicis Palatini: *Per quod commonitorium, inquit, cognito funestissimo errore imperiali præcepto tam Julianus defensor & sequax ejus cum cæteris sociis, & participibus suis, & quam postea etiam Cælestius de Constantinopolitanâ urbe detrusi sunt; Commonitorium enim anno superiori ab eodem Mario oblatum fuisse Principi, ac Clero superius ostensum est. Illi tamen Pelagianis Ex-Episcopi Byzantio pulsi cum anno sequenti indictam apud Ephesum Synodum accepissent, in viciniâ moras traxerunt, ac pergenti statò tempore ad Synodum Nestorio se se comites adjungere, ut postea nobis describeretur.*

Interim Africæ res in deterius ruebant, nam Vandalis latè per eas provincias cædibus, ac rapinis grassabantur, & quadringentis, & triginta Ecclesiis excisis Hipponi regio exercitum admoverant, ac validissimâ classe accitâ terrâ, marique obsidionem urgebant. Augustinus nec civibus, nec Ecclesiæ decrat, illos verbo, hanc calamo confirmans, neque tamen tantas inter obsessæ urbis angustias à Pelagianis expugnandis potuit revocari; nam adversus postremos Juliani libros responcionem nocturnis ferè horis expediebat. Anno 327. quatuor jam volumina compleverat, dein Quod-vult-dei literis, & Gallorum novis tumultibus, atque quotidianis amicorum petitionibus, & reliquorum præsertim operum retractione interpellatus imperfectam contra Julianum responcionem reliquerat, eidem tamen inter Vandalicam obsidionem ultimam manum imponere conabatur. Illud sanè notandum est Augustinum in quarto libro, quem anno 427. elucubrasse ostendimus, Nestorii hæresim, quæ anno 428. ex impio Anastasii Presbyteri Nestorii discipuli ore primùm erupit, confutasse; etenim cum Julianus lib. 4. cap. 82. dixisset de Christo: *Etiâ illud claro testimonio docetur, quod suscepti hominis justitiâ non de natura diversitate sed de voluntariâ actione substituerit.* Augustinus hisce hæreticum redarguit: *Ergo hæc ista susceptio, quæ Deum, & hominem unam fecit esse personam, nihil illi hominè valuit ad excellentiam justitiæ, quam dicis ei de voluntariâ actione substituisse? Sicine vos contra Dei gratiam defenso liberi arbitrii præcipites egit, ut etiam ipsum mediatorem, ut esset Dei filius unicus voluntate suâ meruisse dicatis, & falsum esse, quod tota consistitur Ecclesiâ, credere se in Jesum Christum Filium Dei Patris omnipotentem unicum Dominum nostrum natum de Spiritu Sancto, & Virgine Mariâ? Secundum vos enim non à Verbo Dei homo susceptus est, ut ex Virgine nasceretur, sed natus ex Virgine suâ postea voluntatis virtute profecit, & fecit ut à Verbo Dei susciperetur, non talem, ac tantam voluntatem illâ susceptione habens, sed ad illam susceptionem tali, ac tantâ voluntate perveniens. Hæc si dicatis, ubi est vestra fons? si non dicatis, ubi est hæresis vestra? Vides Julianum antè Nestorium pessimè de personâ Christi Domini dogmatizasse, quæ à Theodoro Mopsuesteno, apud quem eos libros*

eun-

eundem scripsisse narravimus, didicisse nullus inficias ibit, ut mirum non sit, tanto studio Nestorium Pelagianorum causam apud Cœlestinum promovisse. Idem tamen Augustinus etiam in Libro de Prædest. Sanctor. cap. 15. edito, cum in Africam Nestorianæ hæresis rumor fortè delatus esset, hæc perscripsit; *Respondeatur queso, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptum, filius Dei unigenitus esset, undè hoc meruerit? quod ejus bonum quaecunque præcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonnè faciente, ac suscipiente Verbo ipse homo, ex quo esse cæpit, filius Dei unicus esse cepit? &c.* Sed de his iterum capite seq. sermo redibit. Tertium jam menssem Hipponenses obsidionem tolerabant, & Augustinus sexto Juliani libro responderat, duoque alii restabant confutandi, cum gravi febre correptus intrà paucos dies & vivendi, & scribendi finem fecit Vandalico simul, ac Pelagiano bello immortuus V. Kal. Septembris Theodosio XIII. & Valentiniانو III. Coss. cum vixisset annos LXXV. menses IX. dies XV. Pelagiani verò belli anno XIX. Scribit Sanctus Prosper in Chronico ad consulatum memoratum duorum Augustorum: *Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur V. Kal. Septembris libri Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum sine respondens, & gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans.* Opus illud contra Julianum vulgò imperfectum dicitur, ita enim Possidius in indice illud inscripsit. Diù quidè latuit, at nostro sæculo duo priores libri à Claudio Menardo inventi sunt, quatuor verò alios Hieronymus Vignierius à Clarendallensis Bibliothecæ angulo erutos in lucem emisit. Duo tamen libri desiderantur, nam ex octo Juliani libris sex tantum à Sancto Doctore confutantur. Quòd verò hæc volumina legitimi Augustini partus sint apertè demonstrabo in appendice ad Dissertationem Historicam de Synodo V. cap. 2. cujus quidè rei testem idoneum, & locupletissimum dabimus Marium Mercatorem toties in hac Historià à nobis laudatum. Scio Pennotum, ac nostrum Coquæum existimasse, Augustinum obiisse anno 431. sed non modò Prosperi, verum etiam Capreoli Antistitis Carthaginensis in literis ad Synodum Ephesinam testimonio falsitatis convincuntur: illarum verba inferiùs cap. 9. recitabimus, ubi etiam dicemus, cur Theodosius Imperator anno 431. post Junium literas ad totius Romani Imperii Metropolitanas scribens hos inter Augustinum nominaverit, qui tamen anno superiore decesserat.

Hunc vitæ exitum habuit Augustinus omnium mortalium, si eos, quos Canonicos Scriptores appellamus, excipias, sapientissimus, editis adversus divinæ gratiæ hostes libris XXX. præter tot sacras declamationes, tractatus, & Epistolas, queis superbissimam hæresim proscidit. Patria illi Tagastis fuit Numidiæ municipium. A parentibus in Christianam religionem educatus sensim in Manichæorum sectam decidit nimia discendi cupiditate allectus, sed secreto divinæ providentiæ consilio Augustinus novennio Manichæorum errores exploravit, quòd melius sibi notos validissimè postea confutaret. Cum domi tenuis, ac curta illi supellex esset, Romanianum nobilissimum, ac ditissimum civem Mecœnatem sortitus est, à quo operam, atque opes tulit, eidem postea tribus contra Academicos libris inscriptis ingenti fœnore immortalitas repensâ. Liberales artes, cæterasque scientias proprio Marte percepit; neque

enim fas erat eum, qui omnium magister futurus erat, aliquando inter discipulos censeret. Carthaginæ, Romæ, ac tandem Mediolani Rethoricam docuit. Lubricâ juventute in voluptates decidit, non ita tamen ut iisdem ingenii vires enervaret, imò tam pertinaci studio scientias sectabatur, ut unica in illis eidem voluptas esse videretur. Sacris Ambrosii Antistitis declamationibus ad bonam frugem reductus, Manetem execratus, ac salutaribus undis lotus Catholicæ militiæ nomen dedit. In Africam reversus Monachum induit, cujus Monastici instituti professores per Orbem postea latè colonias frequentissimas deduxere. At dum sibi vivere studet, omnium utilitati vivere cogitur ad sacras Hipponensis Urbis infulas promotus. Hæresi bellum intulit, ac mille victoriis reportatis totâ illam Africâ, imò Orbe penè toto exegit, ut quantum Catholica Respublica habuit hostium, tantum & unus Augustinus ostenderit triumphorum. In Manichæos primùm, dein in Donatistas, tandem in Pelagianos aciem movit, ac superis faventibus de universis triumphavit, factumque est, ut per Augustinum minus monstrorum Africa numeraret. Cum in reliquis hæreticis expugnandis cæteros acumine ingenii, rationum pondere, ac gravi disputationis impetu superasset, in Pelagianis debellandis se ipso quoque major evasit, contra illos enim totis ingenii viribus decertavit; uti verò illi doctrinæ subtilitate, & argumentorum vi cæteros hæreticos longo post se intervallo reliquere, ita Augustinus in eisdem tantâ virtute superandis suprâ homines evectus est; neque enim ingratam gratiam dixerim, quæ sui strenuissimo defensori largâ manu suppetias non tulerit. Hinc divina penè Augustini doctrina contra Pelagianos credita est, illa enim in Pontificum Romanorum oracula, in Synodorum canones, in fidei regulam transit; nam subsecuti Ecclesiæ Præsules unius Augustini vocibus contra superbam hæresim sententias dixere. Ultimâ senectâ errata sua publicare voluit Retractionum libros edendo. At cum in cæteris ducentis, & amplius libris plurima censoriâ ille virgâ corrigeret, in libris contra Pelagianos editis nullam sententiam retractavit, nihil quod displiceret invenit. Nemo Augustino melius divinæ gratiæ vires expertus fuit, nemo Augustino melius ejusdem efficaciam probavit. Hinc factum est, ut qui post Augustinum divinam gratiam propugnarunt, sub unius Augustini auspiciis in aciem descenderint, ut ex iis, quæ dicturi sumus, apparebit. De ejusdem gestis, ac scriptis plurimi ex Augustinianâ Familiâ Commentarios edidit, Cornelius Lancellotus, Ludovicus ab Angelis, Aloysius Torellus, aliique, quorum tamen studia vicit sapientissimus Pater Joannes Rivius Belga, ex quibus alii plurima mutuarunt. Strenuissimo huic Duci de Pelagianâ hæresi, aliisque triumphanti epinicia cecinit Michael Hoyerus Augustinianus Lib. 2. flammularum amoris Sancti Augustini carm. XXIX.

** Fallimur, an curru novus æthera Victor eburno*

Tempora Phæbèâ virgine nexus adit?

Ecquis Jo Pæan vasti super atria cæli,

Ecquis Jo clarâ voce triumphæ sonat?

Non hic edomitâ Bromius Gangetide terrâ

Lauriger adjunctis tigribus astra petit.

Non fragilem major molitur Arida triumphum

Truncandus patrios eben miser! ante Deos.

Non ardens sceptris rerum insatiata vorago,

Festa coronatis Roma triumphat equis.

Sed superas victor scandit Pater AUREUS arces,
Impositis Erebi monstra premeus pedibus.
Aulæis festiva micant delubra superbis,
Semita factatis erubuitque vosis.
Hic Arabum menses, Syrios liquat alter odores.
Hujus Achemonios halat acerra focos.
Hostica spectatis spolia, & de Dite superbo
Exuvias, pompæ fercula longa sacræ?
Cernitis sanguineos ut eat demissa capillos
Terribiles spirans Hæresis ore minas!
Vincla gravant erata caput, tamen usque ferocit,
Tetraque de sero corde venena sput.
Pone subit Manes scelerumque Pelagius auctor,
Tabida demissis squallidus ora comis.
Ut frendent, oculisque vibrant hostilibus ignes
Laurigeras prærens fœdus uterque rotas.
Infelicem animam ponant, temerare Deorum
Discant impurâ religione metum.
Hostia tam periura sacras jam jam imbuat aras:
Non est Tarpeis dignior ulla focis.
Tu quoque nequitie semen Donate peribis,
Donasti socio qui mala verba gregi.
Eja triumphales umbrent tua tempora lauri:
Omnis, Magne Pater, victima fusa jacer.
Victima fusa jacet, tristi quam protulit alvo
Styx nigra tartareum sugere sueta merum.
Eximius hæc est victoria digna triumphis,
Cæsus ubi unius viribus hostis obit.
Cum rueret Carthago decem successa diebus,
Magno Scipiada pars quora laudis erat?
Partem plebejus, partemque triarius hujus
Excidii haud parvam, si bene veris, habent.
At tua, MAGNE PATER, seposita est laurea ab omni
Compare, Palladiâ laurea parta manu.

Sed quid nuperum Poetam ad Augustini victorias concinendas conduco? Eja tu, qui in defendendâ gratiâ Augustini demortui vices gessisti, magne Profper, tuam intende chelin, & triumphanti Imperatori carmina modulari. Pone enses, quo superborum hostium capita feris, & plectrum sollicita, in aciem postea sub Augustini auspiciis iterum descensurus. Hæc ille canit in carmine contrâ Ingratos.

Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans nostro lumen dedit ævo
Accensum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, & requies, Deus est, omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi,
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas populere feras, industria major,
Mijus opus, totum præstantius imbuat orbem.
Nam quocunquẽ gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occurso est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non reperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa Luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Non dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore Viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites, humilesque bibunt, campisque animorum
Cessant vitalis doctrinæ immittere rivus.

CAPUT VIII.

Alipius Tagastensis Numidiæ Primas. Civilis, ac Ecclesiastica Provinciarum Africa divisio præmittitur, ubi de Arzuzitanâ provinciâ nonnulla adnotantur. De Numidiæ Primatum vivente Augustino successione Cardinalis Baronii sententia ab objectis à Christiano Lupo erroribus vindicatur. Scriptorum Augustinensium de Profuturo Episcopo narratio expenditur. De Primatiali Numidarum sede Salmastii opinio rejicitur. Caroli à Sancto Paulo, ac Hofstennii tabula Numidiæ suppletur. Gregorii Magni textus restituuntur. Mors Alipii, itemque Aurelii Carthaginiensis, ac de utroque elogium.

Alipium Tagastensem sæpius nobis in Pelagianâ causâ memoratum Numidiæ Primatem fuisse ex epigraphe Epistola 67. Augustini ad eundem eruditè colligit Chiffletius in notis ad Breviarium canonum Cresconii pag. 316. etenim laudata Epistola sic inscribitur: Augustinus Alipio seni. Idem etiam in Epistola 55. à Dioscoro dicitur Senex Alipius. Quo nomine, ut inferius ostendam, cum soli Primates vulgò appellarentur, palam fit, Alipium propè annum 430. fuisse Numidarum Primatem, ac Valentino, qui anno 423. erat Numidiæ Metropolitâ, successisse. Anno 416. in literis Synodicis Numidarum ad Innocentium Papam post Sylvanum Primatem quinque Episcopi antè Alipium subscripti leguntur, quorum unus tantum primatum indeptus est. Ex depravato tamen textu Epistolæ Augustinianæ de tempore obitus Alipii, itemque Numidiæ Primatum successione nobiles Scriptores in varias sententias abiire. De his igitur agemus, ut indè etiam pateat, quinam Primates vivente Augustino Numidiâ rexerint, quibus Sanctus Episcopus Hipponensis uti subditus morem gessit. Eos autem ab anno 395. usque ad annum 430. describemus; toto enim medio illo tempore Augustinus Hippone Episcopus vixit. Hoc tamen antequàm exequamur, nonnulla præmittenda sunt, quò plenior Africanarum Ecclesiarum Hierarchiæ cognitio habeatur.

Africa in Romanorum potestatem redacta in septem provincias divisa fuit, diversis Gubernatoribus singulis præpositis. Provincia Carthagenensis, quæ Zeugitana, & Proconsularis ex Victore Vitenfi initio ferè lib. 1. de Persecutione Vandalicâ dicta fuit, à Proconsule regebatur. Numidiæ, ac Byzaciæ duo Consulares præerant. Tripoli autem, & Mauritanie Sitifensi, itemque Cæsarensi tres Præsides jura dabant, undè à Sexto Rufo illæ consulares, hæ præfides provincie appellatæ sunt. Præter hæc sex provincie septima Romanis in eadem Africâ parebat, quæ Tingitana dicebatur, eratque extrema Mauritanie pars versùs Occidentem Oceano Atlantico contermina. Hanc cum Mauritanie Sitifensi plerique Scriptores confundunt. In subscriptionibus Synodi plenariæ Africanæ anno 419. Carthaginæ celebratæ Mauritania Sitifensis cum Tingitanâ perperam confunditur, nam legati Mauritanie Sitifensis ita subscripti leguntur: Novatus Sitifensis legatus provincie Sitifensis, vel Mauritania Tingitana. Eodem modo duo alteri collegæ describuntur. Eundem lapidem offendit Pamelius in notis ad Epistolam 45. Sancti Cypriani, quo loco ex Sex. Rufo Africanarum

rum provinciarum divisionem recitat, cum tamen ibidem Rufus duabus Mauritanis Sitifensi, ac Cæsarensi recensitis statim hæc scribat: *Trans fretum etiam in solo Africa provincia Hispaniarum est, quæ Tingitana Mauritaniam appellatur.* Inter provinciam Sitifensem, ac Tingitanam Cæsarensis Mauritania interiacet. Sitifensis à Sitifi Metropoli, Tingitana verò à Tingi urbibus provinciarum primariis nuncupabatur. Tingitana provincia Hispaniarum à Ruso dicta est, quod una esset ex quatuor provinciis præsidalibus Hispaniæ, ut patet ex notitiâ Imperii Occidentalis cap. 3. & 67. & Panvinio laudato. Plinio lib. 5. initio, ac Ptolomæo lib. 4. duplex tantum Mauritaniam memoratur, Cæsarensis, ac Tingitana, nam Sitifensis Cæsarensi id temporis accensebatur; Ptolomæus enim lib. 4. Geographiæ cap. 1. Sitifim inter Mauritaniam Cæsarensis urbes numerat, & Plinius scribit, Ampsagâ flumine Mauritaniam Cæsarensis à Numidiâ divisam esse, Sitifenses autem ultra Ampsagam sunt. Tres Mauritaniam unum olim regnum fuere usque ad imperium C. Cæsaris, *sevitia ejus in duas divisa provincias*, teste Plinio cap. 1. libri ejusdem. Etenim Caligula Ptolomæo Mauritaniam Rege impiâ fraude preëmpto, regnum in duas provincias dissecuit, quas per duos Procuratores Romani initio regebant. Lucius Albinus à Nerone Mauritaniam Cæsarensi præfectus à successore Galbâ etiam Tingitanam præpositus fuit ex Ta-cito lib. 2. Historiarum. Posteriori tamen Romani imperii tempore Tingitana ab Africa provinciis avulsâ cum Hispaniâ computabatur.

Hæc quidem civilis provinciarum Africa divisione fuit, cui minime Ecclesiastica earundem distinctio conformis evasit. Cypriano Carthaginensè Antistite tres tantum provincie Ecclesiasticæ in Africâ censentur, nempe Proconsularis, Numidia, & Mauritania, ut colligitur ex initio Synodi à Sancto Cypriano coactæ apud Augustinum lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. Tunc enim amplissima erat provincia Zeugitana, quæ postea in tres provincias discreta est, nempe Proconsularem; Byzacenam, & Tripolitanam. Mauritania Sitifensis unam olim cum Numidiâ provinciam conflabat, postea tamen divisa fuit. Legitur hic canon tit. 82. apud Ferrandum Diaconum: *Ut primatem proprium Mauritania Sitifensis habeat. Concilio Carthaginensi titulo 6.* Certum est, anno 397. Sitifenses habuisse Primatem à Numidarum Primatem diversum, uti proxime narrabimus. Provincia Tingitana licet, quod civilem politiam respicit, Hispaniis accensebatur, spectato tamen regimine Ecclesiastico ad Mauritaniam Cæsarensis pertinebat, ut patet ex notitiâ Episcoporum Africa, ubi Cæsarenses, & Tingitani Episcopi uni tantummodò provincie deputantur. Hæc quidem sex fuere vivente Augustino Africanæ Ecclesiæ provincie, in quibus ingens Episcoporum numerus recensetur. In actis collationis Carthaginensis anno 411. Episcopi Catholici præsentibus 286. subscripti leguntur. At Alipius noster collat. 1. diei cap. 217. dixit, absentes Antistites fuisse ducentos, & viginti. Addidit Fortunatianus vacasse tum temporis cathedras LXIV. Verum Augustinus in breviculo Collat. 1. diei cap. 14. ait, absentes Episcopos fuisse *centum viginti*, vacasse verò sedes LX. Errorem verò in codicem collationis irrepsisse constat ex Augustino ibidem. Scribit, Donatistas, cum audissent centum viginti Episcopos Catholicos Carthaginem non venisse, respondisse:

Etiam suos multo plures non venisse Carthaginem. Quos indè Sanctus Pater falsitatis convictos narrat: *Quandocumque soli agroti non venerant Carthaginem, pro quibus tamen in itinere agrotantibus alii subscriperant, & omnium nomina cum ipsis etiam, pro quibus alii subscriperant, ducenta septuaginta novem subscriptio continebat.* Neque ullo modo credibile sit multo plures, quàm centum viginti, hoc est, tertiam partem omnium eorum in suis sedibus agrotasse potuisse, & ideo non venisse Carthaginem. At CXX. additis, XIII. sunt planè tertia pars totius numeri, quem Donatistæ jactabant. Itaque erant id temporis Episcopi in Africâ CCCCLXVI.

Cum libro primo cap. 18. recitaverim literas Primatis Carthaginensis datas ad Episcopos per tractum Byzacenæ, & Arzugitanæ provincie constitutos, quæri potest, quanam fuerit isthæc provincia Arzugitana. Ego quidem, cum apud veteres Geographos nusquam in Africâ Arzugum mentionem invenirem, quos tamen in Epistolâ Augustini mox laudandâ nominatos legeram, consului eâ de re Illustrissimum D. Hieronymum Casanatam S. R. Inquisitionis Assessorem, ob singularem tum Ecclesiasticæ, tum profanæ eruditionis peritiam eximium Reipublicæ literariæ ornamentum, ac decus; quod in aliis quoque difficultatibus, quas ægrè per me expediri posse sentiebam, tam importunè feci, ut doctissimo Præsuli, eidemque innumeris Orthodoxi Orbis negotiis occupatissimo non semel fastidio fuerim. Ille autem quicquid notitiæ de Arzugibus è veterum monumentorum rudibus erui poterat, pari eruditione, ac comitate indicavit. In primis Arzuges à Tripolitanis distincti erant, quod colligitur ex Synodo Africanâ anno 401. Carthagine celebratâ; etenim Aurelius Primas hæc ibidem ait: *Quia in Tripoli forte, & in Arzuge interiacere videntur barbara gentes &c.* Et postea: *Cogitare etiam debetis fratres, quia hoc sibi, & Tripolitani, & Arzugitani fratres potuerunt exigere, si ratio pateretur.* Quare Arzuges erant distincti à Tripolitanis, ac positi in confiniis Romani imperii in Africâ. Ex Orofio lib. 1. Historiarum Orbis, quas Augustino jubente literis consignavit, ubi Africam cap. 3. describit, exacta notitia Arzugum traditur, ibi enim hæc tradit: *Tripolitana provincia, quæ & Subventana, vel regio Arzugum dicitur, ubi Leptis magna civitas est. Quamvis Arzuges per longum Africæ litem generaliter vocentur.* Ex his liquet, Tripolitanos per antonomasiam quandoquæ Arzuges appellatos fuisse, ita tamen ut alia quoque gentes extrâ Tripolis confinia eodem nomine nuncupatæ fuerint. Arzugum meminit Publicola vir illustris in Epistolâ ad Augustinum, quæ Tomo 2. inter Augustinianas est 153. *In Arzugibus, inquit, ut audiui, decurioni, qui limiti præest, vel tribuno solent jurare Barbari jurantes per Demones suos: & inferius: Si quem miser o' ad Arzuges, si licet ei juramentum accipere à Barbaro.* Arzugitana regio erat sub curâ Ducis limitis Tripolitani, cui quatuordecim præpositi limitum suberant, qui in notitiâ imperii Occidentalis apud Pancirolum cap. 70. & Panvinium meum lib. 3. de Romano Imperio recitantur. Hæc autem præsidia infidebant confiniis plurium provinciarum Africa, nam ibidem legitur præfes limitis Macomadiensis, hæc verò urbs spectabat ad Numidiâ, & in collatione Carthaginensi laudatur Aurelius Macomadiensis, qui in epigraphe Epist. 92. apud Augustinum tertio loco sedet in Synodo Numidiæ Milevi celebratâ contra Pelagianos anno 416. Rursus ponitur præfes limitis Thamal-

Thamallomenſis, quæ quidem civitas erat intrâ Byzacium, nam in notitiâ Episcoporum Africae inter Byzacenos nominatur Habetdeum Thamallumenſis. Quare dubium est, num Arzugitanus tractus incluserit limites Tripolis, Byzacii, & Numidiæ, cum præsertim scribat Orosius, quod *Arzuges per longum Africae limitem vocentur*. Ego quidem censeo, limitaneam regionem Byzacii fuisse partem tractus Arzugitani ex hac epigraphe literarum Aurelii Primatis, quas libro 1. laudavimus: *Dilectissimis, ac desiderabilibus Fratribus, ac Conſacerdotibus Donatiano prima Sedis, Januario, Felici, Palatino, Primiano, Gajano, & alii Gajano, Januario, Victorino, & cæteris per tractum provincia Byzacena, & Arzugitana, constitutis Aurelius Episcopus*. Etenim cum Aurelius Donatianum tantum Primatem appelleret, palam est, Arzugitanæ regionis Episcopos intrâ ejusdem provinciam recensitos fuisse. Has literas neque ad Tripolitanos, neque ad Numidas datas fuisse inde mihi probatur, quod in earundem titulo utriusque provincie Primatem nominasset, non autem solum Byzacenum. Tripolitanos autem proprium Primatem habuisse certum est, nam unum Legatum ea provincia ad Synodos mittebat, eratque à cæteris Africae provinciis distincta, licet quinque tantum in illâ Episcopi essent ex cap. 16. Cod. Concil. Africae, & ex notitiâ Episcoporum superius laudatâ. In Collat. 1. Carthagenensî cap. 107. hæc leguntur: *Afellicus Episcopus Ecclesie Catholicae municipii Tufurritensis dixit: sub æsificatione omnipotentis Dei, & Jesu Christi Salvatoris nostri dico, nos sic esse de Arzugibus profectos ceterâ Kal. Majarum*. At Ecclesia Tufurritensis spectabat ad provinciam Byzacenam, undè in notitiâ Episcoporum Africae inter Byzacenos numeratur *Florentius Tufurritanus*. Erat autem Tufurris urbs mediterranea Byzacii ad radices montis Mamphari in regione Giplonſiorum versus meridiem. Titulus à Ptolomæo nuncupatur. Itaque Afellicus erat Episcopus in Arzugibus, Donatiano Primati Byzaceno subjectus, quod colligitur etiam ex Epist. 200. Sancti Augustini ad eundem Afellicum, cujus est exordium: *Literas sanctitatis tuæ, quas ad venerabilem senem Donatianum de cavendi Judaismi disceptatione misisti, ad me ipse dignatus est mittere*. Ubi etiam scribit, Pelagium, ac Cœlestium recenti judicio Dei per diligentes, & fideles servos ejus etiam Catholicâ communionem privatos. Ex quibus intelligitur quantâ in æstimatione erat Augustinus, cum Primates aliarum provinciarum dubiorum solutionem ab ipso peterent. Ex his constat, Arzuges eos Africae populos dictos fuisse, qui Tripolitanae, & Byzacena provincie limites versus meridiem longo terrarum spatio incolebant, undè dixit Augustinus Epist. 48. ad Vincentium: *Si enim hoc Scripturarum loco meridies Africa intelligenda est in parte Donati, quæ sub cæli ardentiori plaga est, omnes vos Maximianistæ superabunt, quorum schisma in Byzacio, & in Tripoli exarsit; Sed confligant cum eis Arzuges, & hoc magis ad se pertinere contendant &c.* Hæc pluribus profecutus sum, tum quod nulla Arzugitanæ regionis mentio fiat in tabulis Caroli à Sancto Paulo, & ad easdem notis Holſtepii, & Collectores Conciliorum, ubi de Arzugibus sermo est, quasdam lectiones margini apposuerunt, quæ ex laudatis Augustini, & Aurelii, atque utriusque coetanei Orosii testimonio corriguntur; tum etiam quod de Arzugitanâ provincia lib. 1. cap. 16. pluribus disserere nolimus, sed diligentioris inquisitionem huc distulimus, ubi de provinciis Africae consulto sermo instituendus erat.

Hac ergo Ecclesiasticarum Africae provinciarum divisione præmissâ ad earundem Primates sermo vertendus est. Africae Ecclesie in suarum provinciarum Primatibus statuendis longè à cæteris diversa consuetudo fuit; etenim illum, qui Carthagenis totius Africae Metropolis sacris præerat, uti supremum Exarchum aliarum provinciarum venerabatur, nempe Numidiæ, Byzacii, utriusque Mauritanie, ac Tripolis, & Primates non ab earundem provinciarum Metropolitanis urbibus, sed ab antiquitate delatâ dignitatis appellabat. Testis est Leo IX. Epist. 9. ad Petrum, & Joannem Episcopos Afros, ubi ait: *Sed de Africa Primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis ejus provinciis antiquitus Primates instituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ orationis, quibus tamen omnibus præerat unus, scilicet Carthagenensis Archiepiscopus &c.* quod ipsum exemplis Primatum Numidiæ inferius ostendetur. Hanc peculiarem Africae Hierarchiæ consuetudinem à Sirmondo primitus publicatam scribit Morinus, sed antè Sirmondum id ipsum detexerat Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano in notis ad Epist. 217. Porro Afri provincie Primatem vulgò *Senem* appellabant, quod cæteros tempore consecrationis superabat. Hinc Sylvanus Numidiæ Primas in subscriptione priorum literarum in Collat. 1. Carthagenensî cap. 16. dicitur *Sylvanus Senex*. Eo modo appellatur in Synodo Cirtenſi, & in epigraphe literarum Sancti Innocentii Papæ ad Patres Synodi Milevitanae II. *Innocentius Sylvano Seni, Valentino &c.* Quare cum Epistola August. 67. hunc titulum habeat *Augustinus Alipio Seni*, palam fit, Alipium Tagastensem fuisse Numidiæ Primatem, ac Valentino successisse, qui anno 423. erat Primas Numidarum. Verum cum Christianus Lupus vir hujus ætatis eruditissimus contendat, Valentino Xantippum successisse, ac Baronium Cardinalem secus opinionem plurium errorum auctorem faciat, operæ pretium duxi, rem hanc diligentius examinare, non modò ut doctissimi annalium Ecclesiasticorum conditoris sententiam ab oppositis erroribus vindicem, verum etiam, ut pateat quinam Primates vivente Augustino Numidiam rexerint, quibus uti suffraganeus noster Hipponensis Antistes morem gessit. Illi ergo ab anno 395. usque ad annum 430. nobis describentur.

Lupus noster, quem tanti facio, ut veritatem tantum illi præponendam ducam, in quaestione quodlibeticâ de Origine Augustinensium cap. 8. pag. 114. hæc scribit: *Dico itaque Megalio successisse Sylvanum, Sylvano Valentinum, huic autem Xantippum*. Probat, quia Augustinus Epist. 217. ad Victorinum vocat Xantippum Primatem Episcopum Tagastensem; at certum est ex Synodo Carthagenensî plenariâ anno 419. Alipium vixisse, ac inter reliquos sententiam dixisse, itemque constat ex literis ejusdem Concilii ad Bonifacium, Valentinum tunc fuisse Primatem Numidiæ; undè fit consequens, ut Xantippus mortuo Alipio in Tagastensem Sedem successerit, atque uti cæteris antiquior Primatiam apicem attigerit; hinc concludit pag. 113. *Quapropter omnino lapsus est Eminentissimus Cardinalis Baronius, dum Xantippum facit Sylvano antiquiorem*. Et pag. 117. relatâ sententiâ Cardinalis addit: *Varii hic concurrunt errores*. Video opinionem Lupi placuisse amicissimo nostro Torello, qui pedibus in eandem ivit, undè anno 420. inferias Alipio celebrat dato eidem successore Xantippo. Cæterum his Scriptoribus doctissimis, eruditissimis, meique in primis amantissimis celebre

celebre illud adagium quadrat, bonum quandoque Homerum dormire, etenim Lupus præsertim præve Numidiæ Primates enumerat quosdam omitens, alios non suo ordine recensens, insuper quædam Baronii dicta censuræ subijcit, quæ mihi verissima videntur.

Anno CCCXCV. Megalius Episcopus Calamensis totius Numidiæ Primas Hipponem veniens, ejusdem urbis Episcopum Augustinum consecravit, ut tradit Prosper in Chronico. Possidius lib. de Vitâ Augustini cap. 8. scribit, Sanctum Doctorem ordinatum fuisse à *Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo*; & cum in collatione Carthaginensi Donatistæ instaret, à quonam Augustinus consecratus esset, respondit S. Pater: *Megalius me ordinavit Primas Ecclesiæ Numidiæ Catholice*: Cap. 247. collat. tertiæ diei. At necdum biennio exacto Megalius decessit, de cuius obitu scribens Augustinus ad Profuturum Episcopum Constantinensem ait: *Quod senex Megalius defunctus sit, jam vos audisse quis dubitet? Erant autem à depositione corporis ejus, cum hæc scriberem, dies ferme viginti quatuor*. Mortuus est Megalius anno 397. circa Augustum. Megalio successit non Sylvanus, ut dixit Lupus, sed Crescentianus; patet hoc ex Synodo Carthaginensi III. apud Binium celebratâ Cæsario, & Attico VV. CC. Conf. V. Kal. Septembris, nempe anno 397. ubi Aurelius Archiepiscopus Carthaginensis dixit: *Frater etiam Reginus Ecclesiæ Vegeselitane literas ad parvitatem meam datas Crescentiani primæ Sedis, ut ipse insinuat, Numidarum*. Ex his Aurelii verbis liquet, tunc primùm Crescentiani primatum eidem innotuisse; at Africæ Primates statim Archiepiscopum Carthaginensem de obtentâ dignitate certior reddebant, erant enim eidem subiecti, ut contra Salmasium pluribus ostendo in Dissert. Hist. de Synodo V. cap. 10.

Ex dictis supina omnium penè Scriptorum Augustinensium hallucinatio rejicienda est; putant enim, Profuturum Monachum olim Augustinianum ex Epistola 258. Evodii nostri ad Augustinum anno 398. in Lusitaniam profectum, ibique electum fuisse Metropolitanam Bracarensem: ita Marquez de Origine August. cap. 10. §. 2. Crusenius lib. 1. Monastico cap. 13. & omnium operosissimè Magister Antonius à Purificatione tom. 1. Hist. Lusitanæ Augustinianæ lib. 1. tit. 5. & in Apologetico, & nuper Mauritijs à Matre Dei Excalceatus lib. 1. de sacrâ Eremo Aug. §. 1. Argumentum fabulæ dedit Julianus Tolentanus in Chronico ad annum 398. hæc scribens: *Profuturus Presbyter Africa venit in Hispaniam, & ob egregias virtutes, & mentis sanctitatem succedit Paterno in Sede Bracarensi*. Hinc Antonius à Purificatione contendit, Profuturum Bracarensem Episcopum Augustinianum Monachatum in Lusitaniam primùm invehisse. At eo anno 398. Profuturum in vivis non fuisse, imò neque in Lusitaniâ, sed in Numidiâ Episcopum dicendum esse, aperte demonstro. Et ut à posteriori incipiam S. Augustinus in lib. de unico Bapt. cap. 16. hæc contra Petilianum Cirtensem Donatistarum Episcopum scribit: *Jam verò quòd etiam de Cirteni Ecclesiâ dicere voluit, & Episcopos ibi Catholicos maledictis infectatus est, quibus voluit, &c. Proinde si Profuturus antè paucissimos annos defunctus, & Fortunatus, qui in corpore adhuc est, atque illi successit Episcopo &c.* Fuit ergo Profuturus Cirta in Numidiâ Episcopus Fortunati decessor. Cirta eadem urbs cum Constantinâ fuit, undè Augustinus Petilianum modò dicit Cirtensem Episcopum lib. 3. contra lit. Pet. cap. 53. & initio lib. 1. contra Cresconium, modò Con-

stantinensem lib. 2. Retract. cap. 34. & lib. 2. contra Pet. cap. 99. Ipse Petilianus collat. 1. cap. 65. dixit: *In plebe meâ, idest civitate Constantinensi adversarium habeo Fortunatum*: Augustinus eundem etiam Fortunatum Constantinensem appellat lib. 3. cap. 38. & lib. 1. contra lit. Pet. cap. 1. Cirtensem verò lib. de unico Baptismo cap. 16. Undè errant illi, qui cum Baronio duos Petilianos fuisse suspicantur, vel cum Francisco Balduino in notis ad Optatum eundem ab unâ ad aliam Ecclesiam translatum putant; corrigendus etiam venit Rosuveydus, qui cum Baronio ad annum 395. num. 43. facit Profuturum Episcopum Calamensem. Ego sanè molestè fero, Marquez, aliosque adeo oscitanter laudatam Epistolam Augustini ad Profuturum legisse. Illius initium est: *Quòd senex Megalius defunctus sit, jam vos audisse quis dubitet? Erant autem à depositione corporis ejus, cum hæc scriberem, dies ferme viginti quatuor*. Itane minimè dubitandum dixisset, intrâ dies viginti Megalii mortem in Numidiâ cognitam fuisse remotissimæ Lusitanie Urbi, cujus sacra Profuturus moderabatur? Addit: *Succesorem primatus ejus, si fieri potest, nosse volumus*. Næ Augustinus Hipponem in Numidiâ degens novi Numidarum primatis electionem à Bracarensi in Lusitaniam Episcopo intelligere optasset? A Profuturo id scire citò citius sperabat, quia erat in Metropoli provincie, ubi residebat Consularis Numidiæ Rector, ad quem novi Primates statim scribere solebant. Rursus in eadem Epistola: *Si recolis, inquit, quid mecum nuper in itinere quodam locutus sis*. Erat ergo, Profuturus in Africâ Episcopus. Hoc postremo testimonio convictus P. Thomas de Herrera lib. 3. Bibl. Aug. in notis ad Epist. 8. Sancti Augustini falsus est Profuturum minimè Bracarensem Episcopum fuisse. In fine epistolæ rogat Profuturum, ut Victori, *Constantinam dum pergeret*, adjumento sit, eidemque insinuet, ut velit *per Calamam remeare*. Quæ Urbes in Numidiâ erant, & palam Profuturus ibidem ut Constantinâ degens describitur. Præterea S. Paulinus Nolanus Epist. 36. apud Augustinianas scribit Romaniano, se accepisse literas ex *Africâ Aurelii, Alipii, Augustini, Profuturi, Severi jam omnium pariter Episcoporum*. Alius ergo est ille Profuturus Bracarensis à nostro Constantinensi, qui electus Antistes *in brevi defunctus est* ex Epistola Augustini 10. ad Hieronymum.

Eo verò anno 398. Profuturum non fuisse superfluum certum est, nam Megalius Calamensis ex literis Crescentiani ad Synodum Africanam anno 397. in fine Augusti celebratam tunc objerat, atqui Megalio in Calamensem Sedem successit Possidius Augustianus Monachus, quare anno eodem sedebat Calamæ Possidius. Ex aliâ autem parte constat, Fortunatum, qui post Profuturum Constantinensem Ecclesiam rexit, electum fuisse Episcopum antè Possidium; nam in magnâ Collatione Carthaginensi anno 411. *Fortunatus Constantinensis* quinto loco numeratur, at *Possidius Calamensis* postremo loco inter septem Episcopos, qui ad disputandum contra totidem Donatistas electi sunt. Rursus in Synodo Milevitanâ II. anno 416. contra Pelagianos coactâ Fortunatus undecimus, Possidius duodecimus inter Patres recensetur in titulo Epistolæ 92. Augustiniane. Quam verò exactè in Africanâ Ecclesiâ juxtâ tempus delati Episcopatus in sedendo, ac subscribendo ordo servaretur, colligitur ex Cod. Afric. cap. 53. *Ut nullus Fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone*. Hinc Sanctus Augustinus increpat Victorinum ob non servatum juxtâ tempus collatæ dignitatis ordinem in

nominandis Episcopis in Tractoriâ: *Ad ipsos Numidas*, inquit, *ita perturbato, & neglecto ordine scriptum est, ut nomen meum tertio loco invenerim, qui novi, quam post multos Episcopus factus sum*: Epist. 217. Quare Profuturus paulò post acceptam epistolam illam Augustini è vivis excessit, eique prius datus est successor Fortunatus, quàm Possidius Calamæ Megalio subrogaretur, ut in Synodis antè Possidium jure Fortunatus federet. Sed ad Numidiæ Primates redeundum est.

Errat præterea Lupus, dum Xantippum Sylvano, & Valentino posteriorem Primatem facit, nam Crescentianus Xantippum excepit: nihil hoc ipso clarius in Synodis Africanis habetur. Mortuo Crescentiano illis orta fuit inter Xantippum, & Victorinum de Primatu Numidiæ, eam sibi utroque certatim dignitatem vindicante, ut patet ex Sancto Augustino Epist. 217. Cardinalis Baronius indè illam controversiam exortam putat, quòd cum duæ Numidiæ essent, & in unâ Xantippus, in alterâ verò Victorinus degeret, uterque suæ Metropoli primatum asserere satagebat, at causam Xantippo adjudicatam scribit, quòd esset Episcopus Constantinæ, quæ totius Numidiæ erat Metropolis. Lupus verò negat, duas fuisse Numidas, sed ait, Mauritaniam Sitifensem se junctam fuisse à jurisdictione Primatis Numidiæ, *ita tamen, ut ista Mauritaniam non fieret provincia Primitialis, sed juxta Africæ leges devolveretur sub sollicitudinem Primatis Carthaginensis*. Ita fatur pag. 119. addens in Synodi VI. prologo nomine duarum Numidiarum intelligi Numidiam ipsam, & Mauritaniam Sitifensem. Litigia autem illorum duorum Præfulum fuisse tradit non de jure sedium, sed personæ, quinam scilicet esset senior Episcopus Numidiæ. Hoc Lupi postremum dictum verum est, neque enim apud Afros Sedes primatialis erat in Metropoli provincie, sed quandoque in vilissimo oppido, in quo ætate major reliquis Episcopus degebat. Profectò erravit Salmasius parte 2. Eucharistici cap. 4. pag. 576. dicens: *Constantina Metropolis erat Numidiæ, prima Sedes, & Metropolis idem*. Etenim Episcopo Sancto Augustino fuere primates Numidiæ Megalio Calamensis, Cresconius nescio cujus urbis Episcopus, certè non Constantinæ, nam Fortunatus ibidem sacra Antistes administrabat, Xantippus Tagoensis, Sylvanus Zummenis, Valentinus Bajanensis, ac denique Alipius Tagastensis, quæ partim demonstrata sunt, partim proximè ostenduntur. Non ergo quæstio erat de Metropoli Numidiæ, sed de antiquitate in Episcopatu, quod ex ipsamet Epistolâ Augustini intelligitur: *Anho*, inquit, *convocate collegas vestros eos maxime, qui vobis Episcopatus ætate vicini sunt, qui facile quis vestrum verum dicat, agnoscant, ut inter vos paucos eadem præ cæteris quæstio dirimatur, & errore sublato minores à cæteris convocentur, qui nec debent, nisi vobis in hac re tanquam prioribus credere, & nunc ignorant, cui vestrum potissimum credant*. Ecce juniores Numidiæ Episcopi nesciebant, uter esset antiquior Episcopus, seniores, atque ætate vicini consulendi erant, quibus longè meliùs, quàm junioribus tempus ordinationis ipsorum poterat innotescere.

Nullò autem jure Lupus reprehendit Baronium, quòd duas Numidas dixit, contendens pro alterâ Numidiâ intelligi Mauritaniam Sitifensem, quæ ita ab antiquâ jurisdictione Primatis Numidici segregata fuit, *ut non fieret provincia primatialis* pag. 119. Nam reapse Mauritaniam Sitifensem non minus, quàm Numidia suum habuit ab aliis diversum primatem, & quidem Episcopo Augustino. In Concilio plenario Milevitano primo Arcadio, & Honorio AA. V.

Cons. anno 402. hæc habentur: *Xantippus Episcopus primæ Sedis Numidiæ suâ manu confirmavit, &c. Nicetius Episcopus primæ Sedis Mauritaniam Sitifensis dixit &c.* Vides Sitifenses Mauritanos, ac Numidas Episcopos habuisse distinctos Primates? Canone 2. Concilii III. Carthaginensis apud Biniuum dicitur: *Omnes Provincia, quæ primas Sedes habent, Legatos mittant*. At Mauritani Sitifenses tempore Augustini Legatos semper misere ad Synodos Africanas. In Synodo anni 397. Cæsario, & Attico Confl. Honoratus, & Urbanus nominantur Legati Mauritanie Sitifensis. Anno 401. in Synodo Carthaginensi post consul. Fl. Stilichonis laudantur iidem Honoratus, & Urbanus Episcopi legati provincie Mauritanie Sitifensis. Rursus in Synodo Carthaginensi Theodosio, & Rurimondo Confl. anno 403. cap. 57. Cod. Afric. hæc habentur: *Lucianus, & Sylvanus Legati provincie Mauritanie Sitifensis dixerunt, &c.* Idem patet ex Conciliis anno 418. & 419. in causâ de appellationibus Africanis, in quibus cum legatis aliarum provinciarum nominantur etiam tres Legati Provincie Sitifensis. Habebat igitur Mauritaniam Sitifensem Sedem primatiale. Hoc ipsum expressè Augustinus tradit Epist. 217. *Legi*, inquit, *in eadem Tractoriâ etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas Provincias scimus suos habere Primates*: Cum de Primatu Numidiæ Xantippus, ac Victorinus Episcopi litigarent ante annum 402.

Rectè etiam Cardinalis Historicus duas Numidas dixit; nam Crescentianus loco superius laudato dicitur Episcopus primæ Sedis Numidiarum. Non intelligi verò ibi etiam Mauritaniam Sitifensem, quòd Primati Numidiæ subjecta erat, ut putat Lupus, apertè colligitur ex prologo plenarii Concilii Africani sub Bonifacio Papâ anno 419. post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. Carthagine celebrati, ubi hæc recitantur: *Præsentibus Legatis diversarum provinciarum Africanarum, Numidiarum duarum, Byzacena, Mauritaniam Sitifensis, & Mauritaniam Casarensis, sed & Tripolis &c.* Mauritaniam Sitifensem nominatur tanquam provincia à duabus Numidiis distincta. Item in Collatione Carthaginensi primæ diei cap. 201. legitur *Januarius Episcopus de Tubursicu Numidiarum*. Uti noster Primas Aquilejensis utriusque Norici Mediterranei, & Ripensis Ecclesiis præest, ita utramque Numidiam unus, idemque Primas administrabat. Quinam autem duarum Numidiarum limites, quæ invicem discernentur, quoque vocabulo distingui solerent, apud Scriptores Ecclesiasticos non invenio. Erit fortasse, qui Numidiam in consularem, & proconsularem discernat, nam Sanctus Augustinus Epistolâ 134. ait: *in mediâ Numidiâ Consulari*. In Codice verò Theod. lib. 11. tit. 1. L. 29. *Proconsularis Numidiæ* mentio fit. Sed planè codicis textus est corruptus, nam ibi legitur: *Ita ut proconsularis Numidiæ cognoscat ostonos, & denos solidos pro singulis equis debere persolvere, Byzaceni etiam, Tripolitani que cognoscant quinos denos pro singulis equis se debere prestare*. Neque enim Numidiæ Proconsul, sed Consularis jura dicebat, ut patet ex notitiâ Imperii Occidentalis, & ex Epist. 230. Augustini. Quare ita legendum est: *Proconsulares, & Numidæ cognoscant &c.* Augustinus verò Numidiam consularem appellavit, quòd à viro consulari, ut mox dicebam, regebatur. Ptolomæus lib. 4. cap. 3. *Numidiæ novæ* urbes recensens inter illas neque Cirtam, neque Vagam nominat, undè istæ videntur pertinere ad Nu-

ad Numidiam veterem. Cur Numidia *novæ provincie* nomen sortita sit, tradit Appianus Alexandrinus lib. 4. de bello civili non longè ab initio. Numidiæ novæ geographicam tabulam exhibet Ortelius. Duas ergo Numidias nempe novam, & veterem in laudatis Synodis appellatas existimo. Quare perperam Pater Lupus Baronium accusat, quod duas Numidias dixit, & has à Mauritania Sitifensi distinctas. Atque hæc sufficiant pro intelligentiâ disfidit inter Xantippum, & Victorinum de primatu Numidiæ, quod ex solâ Epist. 217. Sancti Augustini nobis innotuit.

Longius autem à veritate abijt Lupus, dum erroris insignem Annalistam infingulat, quod Xantippum Primatem antè Sylvanum posuisset etenim Baronii sententia vera est, & Lupus ex mendoso codice in transversam opinionem abductus fuit. Nihil planè tam certò constat ex Conciliis, & Sancto Augustino, quàm Xantippum antè Sylvanum fuisse Numidarum Primatem. In Synodo Mileviana I. celebratâ *Gloriosiss. Imp. Arcadio, & Honorio V. Cons. VI. Kal. Septembris* anno 402. Christianæ Epochæ hæc leguntur: *Xantippus Episcopus primæ Sedis Numidiæ dixit.* Ad minus anno 401. contigit Xantippi primatus, nam Augustinus Epist. 217. V. Idus Novembris scribit, incertum fuisse apud Numidas primatum, Xantippo, & Victorino de eodem contendentibus. At anno sequenti mense Augusto Xantippus citrà dubium erat tanquam Primas à Synodo receptus. Rursus in Synodo Carthagenensi coactâ *Gloriosiss. Imp. Honorio VII. & Theodosio II. A.A. Cons. Idibus Junii* nempe anno 407. hæc recitata sunt: *Censuit Sanctum Concilium, ut literæ ad eundem Senem Xantippum prærogentur.* Cap. 67. Cod. Afric. Conciliorum. Augustinus nobili caractere in Epist. 236. ad Senem Xantippum ejusdem primatus tempora apertè designans, de cognitâ abs se causâ Habundantii Presbyteri hæc ait: *Audi vi autem causam ejus, cum centum dies essent ad Dominicum Paschæ, qui futurus est VIII. Idus Aprilis.* At Paschalis solemnitatis tempore Episcopatus Augustini semel, & iterum tantum contigit die 6. Aprilis, nempe anno 402. Cyclo Solis XIX. Lunæ IV. lit. E. & rursus anno 424. Cyclo Solis XIII. Lunæ VII. lit. F. E. At cum anno 411. Sylvanus Xantippi successor Primas Numidiæ fuerit, literæ illæ datæ sunt antè Pascha anni 402. Xantippo Numidiæ Primate.

Ut incertum est tempus primatus Xantippi, æquè incerta est Sedes ejusdem. In Epist. 217. Augustini ad Victorinum hæc leguntur: *Venerabilis Frater, & collega noster Xantippus Tagastensis dicit, quod eum primatus ipse contingat.* At id temporis Alipius erat Episcopus Tagastensis, qui antè Augustinum, cujus consecratio contigit anno 395. Episcopus ordinatus fuit, & in Synodo Carthagenensi Vincentio, & Flavita Cons. Idibus Septembris anno 401. electus fuit ad quærendum idoneum Episcopum, qui Ecclesiæ Hipponensi Diarrhytorum præficeretur; interfuit etiam collationi Carthagenensi anno 411. aliisque Synodis, & vivebat anno 428. quo anno Româ ad Augustinum in Africam quinque Juliani Pelagiani libros misit, ut lib. 1. cap. 24. dictum est. Sanè Augustinus in Epistola ad Quodvultdeum scribit, se accepisse ab Alipio Romæ commorante Juliani libros, duobus Retractionum voluminibus absolutis, quæ anno 427. completa fuisse certum est. Alipius ergo erat sub Xantippo Primæ Episcopus Tagastensis, & injustè Lupus invehitur in Baronium pag. 118. quod in margine pro Tagastensi Constantinensem Xantippum dixerit, cum tale mendum Lo-

vanientes non agnoverint, aitque Tagastensem asserendum, mortuo Alipio circa annum 419. vel sequenti, ac succedente in eandem Sedem Xantippo; quæ quidem omnia falsa sunt. Veruntamen nec correctio Baronii admitti potest, nam id temporis sedebat Constantinæ Fortunatus; etenim scribit Sanctus Augustinus lib. 1. contra Lit. Pet. cap. 1. *Nunc verò cum essem in Ecclesiâ Constantinensi Absentio presente, & collega meo Fortunato ejus Episcopo &c.* Hi verò libri scripti sunt antè mortem Sancti Anastasii Papæ, quæ accidit anno 402. V. Kal. Maii; scribit enim lib. 2. cap. 51. *Cathedra tibi, quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in quâ Petrus sedet, & in quâ hodie Anastasius sedet.* Idem Fortunatus Constantinensis vivebat anno 411. fuitque unus ex septem ad disputandum contra Donatistas selectis in collatione Carthagenensi, ut superius ostensum est. Ego quidem pluribus codicibus Vaticanæ Bibliothecæ consultis, ubique legi Xantippum *Tagastensem* nuncupatum. Ita habetur in MSS. codicibus tribus, nempe Num. 494. pag. 140. Num. 495. pag. 91. Num. 499. pag. 209. Quare edita hucusque volumina, quæ Xantippum *Tagastensem* dicunt, sunt corrigenda. Scio Holstenium in notis ad pag. 96. Geographicæ sacræ Caroli à Sancto Paulo *Tagorensis* legere, duas autem fuisse *Tagoras* in Africa habemus ex collat. 1. Carthagenensi, nam cap. 133. Posthuvianus *Tagorensis*, & cap. 142. Restitutus *Tagorensis* recitantur. At *Tagora* una erat in provinciâ Proconsulari, & in notitiâ Episcoporum Africa dicitur *Tagara*, cujus Episcopus ibidem ponitur Honoratus. *Tagora* verò Numidiæ *Thagura* ibidem dicitur, laudaturque *Timotheus Thagurensis*. Sed cum tot codices antiquissimi Xantippum *Tagastensem* exhibeant, *Togolam* in Numidiâ fuisse dicendum est; nec mirum hanc urbem in Geographicis tabulis non reperiri, nam Africani Primates, ut ait Gregorius lib. 1. Epist. 72. ad Genadium *passim per villas*, non in civitatibus primariis residebant, & tempore collationis Carthagenensis erant in universâ Africa Episcopi quingenti, ac sexaginta sex, cum tamen tot oppida nec Peolomæi, nec Ortelii tabulæ expriment. Vide Epist. 87. Sancti Leonis ad Episcopos Mauritaniæ Cæsareensis.

Mortuo Xantippo erat anno 411. Primas Numidiæ Sylvanus. Pater Lupus pag. 110. eundem Perdicensem Episcopum nominaverat, at postea ex collatione Carthagenensi errorem in pagellâ ad calcem libri corrigit, scribens fuisse Episcopum *Zummensem*. Sed aliunde etiam error poterat ignoscere, nam Ecclesiâ Perdicensis non pertinebat ad provinciam Numidiæ, sed Mauritaniæ Sitifensis, cujus provincie nomine legationem idem Sylvanus obivit in Synodo Carthagenensi, ut superius prænotabam, & *Victorinus Perdicensis* ponitur in Mauritaniâ Sitifensi in notitiâ Episcoporum Africa. *Sylvanus Zummenis*, in laudatâ collatione nominatus est à Fortunatiano Siccensicap. 200. & ab ipso Officio cap. 201. Hic autem cap. 18. collat. 1. ita literas subscribit: *Sylvanus primæ Sedis provincie Numidiæ subscripsi.* Idem anno 412. præfuit Synodo Cirtensi ex Epistola 152. Augustini, quæ incipit: *Sylvanus Senex, Valentinus, Aurelius &c.* subscripta ponitur apud Lovaniensium editionem *Honorio VII. Cos. XVII. Kal. Julias*, est annus 407. sed post collationem anni 411. ea Synodus habita est, nam collationis ejusdem ibidem mentio habetur. Baronius rectè legendum scribit *Honorio IX. Cos.* anno 412. Idem etiam anno 416. coegit Milevi Synodum contra Pelagianos, ac Syn-

nodales literas ad Innocentium Pontificem dedit, quæ num. 92. apud Augustinum habentur, quibus Summus Pontifex Epistolam ibidem 93. reponit cum epigraphæ: *Innocentius Sylvano Seni, Valentino, & cæteris, qui in Milevitanâ Synodo interfuerunt &c.*

Haud diù superites fuit Sylvanus, nam anno 419. Valentinus erat Numidiæ Primas. In literis ad Bonifacium Papam datis, in quibus Epistolæ prioris anno ad venerabilis memoriæ Zosimum mentio fit, hic titulus ab Africanis ponitur: *Domino Beatissimo, & honorabili Fratri Bonifacio Aurelii, Valentinus primæ Sedis provinciæ Numidiæ, & cæteri Episcopi &c.* Erat vivente Sylvano cæteris senior, undè in Synodis Cirtensi, & Milevitanâ, ut diximus, proximus Sylvano nominabatur, eoque mortuo primatum indeptus est. Lupus meus cap. 39. pag. 494. *Valentinus, ait, fuit Episcopus Ecclesiæ Vagenensis, & certè in collatione 1. Carthag. cap. 99. post Sylvanum Zommensem Primatem vocatus fuit: Valentinus Episcopus Vagenensis, antea tamen à Lupo pag. 111. cap. 8. dictus fuerat nescio cuius Sedis Episcopus Valentinus.* Ego tamen Bajanensem Episcopum appellandum illum existimo, uti enim apud Græcos, & Hispanos litera V. & B. confunduntur ab exceptoribus, cum eodem modo à dictante pronuncientur, hac ratione Notarii acta Collationum excipientes pro Bajanensi Vagenensem scripserunt. Fuere in Africâ duæ istæ Ecclesiæ Bajanensis, & Bagajensis inter se distinctæ, quas tamen Carolus à S. Paulo in tabulis Africanis omittit; Holstenius verò in notis ad eundem pag. 95. posteriorem cum Vageni confundit, asserens famosam Donatistarum CCCX. Synodum Bagaitanam Vagæ in Numidia celebratam, undè & Vagaitana non semel dicitur ab Augustino. Verùm secus dicendum arbitror; nam in collatione 1. Carthag. cap. 99. laudatur *Valentinus Episcopus Bajanensis, at cap. 177. nominantur: Donatianus Episcopus Bagajensis, & Privatius Episcopus Vagenensis.* Erant ergo tres Ecclesiæ distinctæ inter se Bajanensis, Bagajensis, ac Vagenensis. Augustinus lib. 4. contra Cresconium cap. 4. damnatum in Synodo Bagajensi à Donatistis Primitianistis cum undecim aliis nominat *Bejanum Bajanensem* uti Maximianistam, quod antea dixerat lib. 3. cap. 19. Item Synodum Carthaginensem sub Grato Archiepiscopo subscribere cum quibusdam aliis *Felix Bajanensis, & Cresconius Vagenensis*, ut nulli dubium esse possit, quin Bajanensis à Vageni Ecclesiâ diversa sit. At Bagai à Vagæ etiam distingui iterùm contra Holstenium demonstro. Sanctus Augustinus lib. 6. de Baptismo recitat singulas sententias, quas Africani in Synodo S. Cypriani pronunciarunt, & quidem ad verbum ex actis Synodalibus, ibi verò inter alios nominantur *Felix à Bagai cap. 19. & Libosus à Vagæ cap. 37.* Hinc idem Sanctus Doctor lib. 4. contra Cresconium ubique *Bagajense concilium dicit, & Bagajense oppidum lib. 3. cap. 13.* ex quibus locis innumeris corrigendus est textus, ubi Vagaitanum Concilium, vel oppidum legitur, ut in Breviculo collat. tertiæ diei, & in lib. de unico Baptismo cap. 18. exceptores enim pro B. posuerunt literam V. Illa enim Synodus Donatistarum Episcoporum CCCX. non Vagæ, sed apud Bagai habitata fuit, undè sunt illa Augustini Conc. 2. in Psal. 36. *Tu purgasti te apud Bagai, & antea, Quomodo tu servasti Concilio Numidarum:* erat Bagai in Numidiâ.

P. Lupus pag. 112. scribit de hoc Valentino Bajanensi Primate Numidiæ: *Protraxit porrò vitam usque ad initium Pontificis Cælestini, extant enim ejus ad Cælestinum, ac Cælestini literæ ad ipsum.* Ego quidem ar-

bitror utque ad annum 428. eundem vixisse, quia Alipius, ut dicemus, fortè eo ipso anno eidem in primatiam Sedem successit. Nescio verò ubi nam Lupus legerit literas Cælestini ad Valentinum, nullam certè ejusdem Pontificis Epistolam ad Africanos Patres habemus. Addit pag. 112. *Ipse est ille Numidiæ Primas, qui ad Sancti Augustini instantiam erexit Episcopatum Fusbalensem, eique ordinavit primum Episcopum Antonium;* scribit ob eundem postea Antonium alieno ab Augustino animo fuisse, ac de eodem suas apud Cælestinum querelas S. Doctorem deposuisse, ut patet ex Epistolâ 261. At sub Sylvano Antonii ordinationem contigisse apertè colligitur ex modo loquendi Sancti Patris, ita enim scribit ad Cælestinum: *Propter quem ordinandum Sanctum Senem, qui TUNC primatum Numidiæ gerebat, de longinquo, ut veniret, rogans literis impetravi.* Loquitur de Primate uti jam defuncto. Hic est ille Antonius, qui anno 416. interfuit Synodo Provinciali Milevi contra Pelagianos peractæ cum LX. aliis Episcopis, quorum octo tantum infra se habuit, reliquos superiores, uti ex titulo Epistolæ 92. apud Augustinum intelligitur; erat ergo Antonius sub Sylvano Episcopus antè Valentini primatum, à quo etiam fortè consecratus fuit. Huic autem Valentino Alipium nostrum successisse ex laudatâ superiùs epigraphæ Epistolæ 67. apud Augustinum mihi certum est, ita enim inscribitur: *Augustinus Alipio Seni:* Est enim Senex apud Africanos idem ac Primas Provinciæ. Quo anno id contigerit, incertum est. Citrà annum 428. Alipii primatus initia statui nequeunt, nam Augustinus scribens eo anno libros Operis imperfecti contra Julianum, ubi non semel Alipium nominat, *Senis* titulo eundem honoris causâ decorasset; est fortè levis conjectura, sed nil melius occurrit.

Volo hic institutam de Numidiæ primatibus dissertationem unâ, & alterâ animadvertione concludere. Lib. 10. Registri Gregorii Magni Epist. 32. inscribitur: *Victori Episcopo Panormitano,* in quâ jubet eidem Pontifex, ut inquirat in causâ Pauli Episcopi Regiensis, at in Epistolâ antecedenti de eodem argumento ad Columbum Episcopum Numidiæ perscriptâ de memorato Victore ait idem Gregorius: *Victori fratri, & Coepiscopo nostro, qui primatus inter vos locum tenet, curavimus scribendum;* Quibus sanè manifestus error irrepsit, nequè enim Episcopus Panormitanus in Sicilia fuit umquam Primas Numidiæ in Africâ, sed cum editor Epistolarum plures Gregorii literas Victori Panormitano inscriptas ibidem legeret, Victorem Numidarum Primatem per errorem Panormitanum scripsit, sed planè expungenda est sedes Episcopalis Victoris Numidæ; nam in Codice Vaticano Num. 617. ita exhibetur pag. 336. ejusdem Epistolæ titulus: *Gregorius Victori Episcopo.* In editis voluminibus idem Paulus Regiensis Episcopus dicitur, at in laudato codice Gregorius illum vocat *Tegeſis civitatis Episcopum,* sed retineri etiam potest editorum voluminum lectio; etenim in Numidiâ nominatur Cresconius Villa-regensis cap. 15. Cod. Conc. Africa, & Felix Villa-regensis cap. 125. collat. Carthag. & in notitiâ Episcoporum Africæ Regianensis inter Numidas ponitur, qui idem est cum Villaregenſi.

Alterum verò, quod circâ Numidiæ Primates notandum venit, paucis perstringo. Baronius ad annum 399. pag. 97. scribit, quod: *Ecclesia Calamensis sub diœcesi Hipponensi constituta erat, adeo ut ejus visitatio ipsi incumbere Augustino, ut Possidius ejusdem Ecclesiæ Episcopus docet:* appellatur autem in margi-

ne cap. 12. de Vita Augustini; hoc ipsum docuit Joannes Rivius in volumine eruditissimo de Vita ejusdem Hipponensis Antistitis. Sed hoc est planè contrà jus Primatiæ Numidiæ; visitatio enim ad solum Primatem pertinebat. Erat quidè Calama Hipponi regio proxima ex lib. 2. contrà Petil. cap. 99. at peculiarem diœcesim habebat, in quam nullum Hipponensi Episcopo jus inerat, licet Augustinus ob tumultus eâ in urbe exortos eò se statim de proximo contulerit ex Epistolâ 202. ad Nectarium. In capite verò illo 12. Possidius hæc scribit: *Cum fortè unus ex iis, quos de suo monasterio, & clevo Episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, ut quæ dixerat pro pace Ecclesiæ contrà illam hæresim prædicaret &c.* Ex quibus liquet, Possidium laudare Iustrationem Calamensis diœcesis, quam ipse, non verò quam Augustinus instituerat, ut duo illi Scriptores existimant.

Sed jam tandem ad Alipium nostrum, à quo Ecclesiasticæ Numidiarum Hierarchiæ consideratio diverterat, redeundum est. Quo anno idem objerit, licet curiosius quæserim, invenire non potui nobilissimis Africanarum Ecclesiarum monumentis à Vandalis impiè dissipatis. Anno 430. teste Possidio universam illi Numidiam vastaverant, Circa tantum, ac Hipponenses in eorum manus non venerant; eo tamen anno Augustini urbs obsessa est à Barbaris mense Junio, quo tempore Alipium Primatem Hipponem se recepisse antequàm obsidium inciperet, non improbabili ter asserimus, nam scribit hæc Possidius Calamensis cap. 29. de Vita Augustini: *Hipponem etiam nos ipsi de vicino cum aliis nostris Coepiscopis confugeramus, in eademque omni obsidionis tempore fuimus; Hos inter Episcopos fuit Alipius, quò enim nisi Hipponem ad suum Augustinum Tagaltensis Antistes confugisset? Distabat autem Tagaltis ab Hipponem M. P. LIII. ex Antonini itinerario. Natus est Alipius Tagalte in Numidiâ gente nobilissimâ; Augustini tum in patriâ, tum Carthagine discipulus fuit, in Pelagiano bello collega postea futurus. Cùm adhuc juvenis Romæ Comiti Italicarum largitionum à consiliis esset, ejusdem fides à potentissimo Senatore tum prece, tum pretio frustra tentata fuit. Tertiâ verò eundem assensione cùm laude perfunctum tradit Sanctus Pater lib. 8. Confess. cap. 6. Ille concivis sui Augustini individuus socius, ac fidus Achatès, arcanorum omnium ejusdem conscius, & sequenter cum Augustino Manichæis adhærens erravit, cum Augustino respuit, cum Augustino Mediolani sacris lymphis lotus, cum eodem in Africam redux primùm Tagalte, postea Hipponem Monachus vixit. Libri Sancti Patris contrà Academicos, itemque volumen de Ordine interlocutorem Alipium habent, non vanâ illâ benevolentia, quâ olim Plato sui Socratis personam in dialogis colloquentem facit, quod multis postea exemplo fuit, sed reapse disputantem; testem de Augustinum, qui Alipium hac gloriâ haud fraudatum voluit lib. 1. contrà Acad. cap. 1. Romanianum alloquens ait: *Abibito itaque Notario, ne aure labore nostrum discernerent, nihil perire permisi. Sanè in hoc libro res, & sententias illorum, nempe Tregetti, & Licentii juvenum, mea vero, & Alipii etiam verba lecturus es.* Hierosolymam ex Africâ profectus Hieronymo Augustinum amicissimum reddidit, mutique inter eosdem summos viros amoris conciliator fuit. Reversus ex Asiâ Tagaltensibus sacris acclamante universo populo præfectus optimi Antistitis numeros semper explevit; idemque paulò post*

Augustino ad Hipponenses infulas promotus in hæreticis confutandis se collegam exhibuit. Anno 417. unâ cum Augustino, ac quinque aliis Episcopis in maximo illo totius Africæ congressu Catholicorum partes contrà Donatistas sustinuit, unusque fuit è septem Episcopis, qui contrà totidem Donatistas disputarunt. Anno 418. cum Augustino Zosimo jubente Apostolicæ Sedis Legatum egit, ac pluribus Synodis Africanis summâ cum laude semper interfuit. Sed præ cæteris ejus sapientia, atque industria enituit in Pelagianis extirpandis. In Milevitanâ Synodo anno 416. & in tribus Conciliis Carthagenensibus contrà eosdem sententiam dixit. Plures cum Augustino contrà memoratos hostes Epistolas conscripsit; videbat enim Augustinus ex Alipii nomine magnum suis literis auctoritatis pondus accedere: ita Epist. 95. ad Innocentium, 106. ad Paulinum Nolanum, 143. ad Demetriadis matrem Julianam, quibus Pelagiana hæresis proscinditur, Alipii subscriptione firmatæ sunt. Hinc factum est, ut præclarissimi Patres, qui contrà Pelagianos Epistolas ad Augustinum dabant, easdem cum Alipio communes facerent. Sixtus, qui postea Summus Pontifex fuit, damnatis à Zosimo Pelagianis eâ de re unam, & eandem Epistolam ad Augustinum, & Alipium transmisit, quod ex responsione Augustini Epist. 104. ad Sixtum colligitur: *Quod autem, inquit, quibus simul scripsisti, tunc non eramus simul, ideo factum est, ut singulorum singulas, non unam amborum Epistolam sumeres. A me quippè digressus est perlator hujus per venerabilem fratrem, & Coepiscopum meum Alipium, qui tuæ Sanctitati aliam rescriberet, transiturus, ad quem etiam ipsas, quas ego jam legeram, literas tuas ipse portavit.* Sanctus Hieronymus auditâ eadem Pelagianorum proseriptione Epistolam gratulatoriam ad utrumque misit, quæ est inter Augustinianas 24. in quâ Augustini, & Alipii operâ Pelagianos damnatos hæc testatur: *Mibi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ Reverentiæ testem invocans Deum, quòd si posset fieri, assumptis alis columba vestris amplexibus implicarer, semper quidè pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maxime quia cooperantibus, & adiutoribus vobis hæresis Cælestiana jugulata est.* Legatione ad Honorium contrà Pelagianos publico nomine functus Principem illis, totamque aulam infestam reddidit, egitque cum Valerio Comite Honorii Duce clarissimo, ne Pelagianis Synodum postulantibus ab Imperatore aures darentur. Hinc Julianus Alipium collegam, & vernulam Augustini ignominia causâ appellabat, qui delatis ex Africâ equis totâ Numidiâ faginatæ Honorii Duces corrumperet, quò Pelagianis obsisterent; at S. Augustinus lib. 1. Oper. imperf. cap. 35. hanc procul ab Alipio calumniam excutiens ait: *Jam verò quid etiam scribere ausus es, neque veritus, ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terrâ, marique transeuntem, seu venientem collegam meum Alipium susceperunt, ubi legi apertissima tua falsiloquia sine tuâ irrisi, ne, vel potius detestatione non possunt.* Cùm Romam venisset Bonifacio Pontifici Augustinum commendavit. Quo autem honore exceptus ille à Pontifice fuerit, scribit Sanctus Doctor lib. 1. ad eundem Bonifacium cap. 1. *Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alipius, acceptusque à te benignissimè, ac sincerissimè mutua miscuit dicente dilectione colloquia, tecumque convivens, & parvulo licet tempore, magno tamen tibi junctus affectu se simul, & me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo, tantò major in me tuæ Sanctitatis est facta amicitia, quanto certior amicitia.*

Româ discedenti idem Pontifex duas Pelagianorum Epistolas tradidit ad Augustinum perferendas, ut paulò antè etiam Valerius Comes Ravennâ exceptâ ex quatuor Juliani libris ad eundem transmisserat, quæ quidè cum Augustinus accepisset, ac statim confutasset, iteratò Alipius in Italiam venit, ac quatuor ad Bonifacium libros, alterumque ad Valerium Comitem portavit, quibus S. Pater Pelagianorum objecta refellebat. Imò cum tertio ille in Italiam navigasset, ac librum ad Valerium octo adversariis libris à Juliano impugnatum videret, hos ipsos magnâ celeritate transcriptos ad Augustinum confutandos transmisit, de quibus fusiùs in superioribus diximus, ut quantum Augustinus calamo, tantum Alipius coram Romanis Pontificibus, atque Imperatore Pelagianorum conatus verbo infregerit. Exortâ verò inter Romanos Præfules, & Africanos Episcopos ingenti illâ de canonibus Nicænis controversiâ quantum Apostolicæ sedi ab uno Alipio delatum sit, ad annum 419. ostendimus. Quare Alipius longinquarum peregrinationum periculis pro Pelagianis extirpandis devoratis, doctissimis Epistolis contra eosdem perscriptis, nobilissimâ etiam ad Honorium legatione eâ de causâ perfunctus inter divinæ Gratiæ propugnatores secundus ab Augustino nominandus venit, ut mirum sit, præclarissimos Scriptores, qui res Pelagianas literis mandarunt, adeò mancam de Alipio mentionem fecisse, primoque loco inter gratiæ defensionem post Augustinum Prosperum Aquitanum collocasse. Sanè Romana Ecclesia in Martyrologio ad diem 15. Augusti Alipii memoriam his recolat: *Tagaste in Africâ Sancti Alipii Episcopi, qui Beati Augustini olim discipulus, postea in conversione socius, in munere pastoralis collega, & in certaminibus adversus hæreticos commilito strenuus, ac demum in cælesti gloriâ confors fuit.* Sanctus Paulinus Nolanus vir suo satis nomine percelebris Alipium adeo amabat, ut illius vitam literis tradere in animo habuerit datâ eâ de re ad ipsummet Alipium Epistolâ, quæ est apud Augustinum 35. ubi totus in Alipii laudes effunditur, quâ de re hæc scribit Augustinus ad Paulinum Epistolâ 32. *Alipium toto pectore amplecteris, & merito; nam quisquis de illo viro benignè cogitat, de magnâ Dei misericordiâ, & de mirabilibus Dei muneribus cogitat. Itaque cum legisset petitionem tuam, quâ desiderare te indicasti, ut historiam suam tibi scriberet, & volebat facere propter benevolentiam tuam, & nolebat propter reverentiam suam, quem cum viderem inter amorem, pudoremque fluctuantem onus ab illo in humeros meos transfuli, nam hoc mihi etiam per Epistolam iussit. Cito ergo si Dominus adjuverit totum Alipium inseram precordiis tuis, nam hoc sum ego maximè veritus, ne ille vereretur aperire omnia, quæ in eum Dominus contulit &c.* Alipii quidè vitam à teneris unguiculis usquè ad conversionem, quando secum Mediolani Christianis sacris initiatus fuit, latè describit S. Augustinus lib. 6. 8. & 9. Confessionum. Quantum verò Alipium dilexerit his lib. 8. cap. 8. expressit: *Abcessi ergo in hortum, & Alipius pedem post pedem; Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat.* Atque hæc de strenuissimo Sancti Augustini in Pelagiano bello collegâ sufficiant. Interim universâ Augustiniana Respublica ingentes gratias refert Illustrissimo D. Josepho Eufanio Episcopo Porphyriensi, & Apostolici Sacrarum Præfecto, qui nuper à S. D. N. Clemente X. impetravit, ut Augustini filii XVIII. Kal. Septembris inter diurna precum officia Sancti Alipii Tagastensis memoriam quotannis solemni ritu recolerent.

At nec postremas partes dabimus Aurelio Carthaginensi, qui totius Africæ primus fuit, licet eundem post Augustinum, & Alipium commendamus; ille enim adhuc silente Augustino primus omnium Cælestium in iudicium Carthagine anno 412. traxit, reuientemque peccatum originis admittere sacro anathemate fulguritum totâ Africâ exclusit. Hic anno 388. cum Augustinus occisò Maximo Tyranno in Africam rediit, erat Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ ex Epistolâ 64. August. & libro 22. de Civitate Dei c. 8. anno 390. nondum erat Antistes, eo enim anno Genethlius Synodum Carthagine celebravit, ut scripsimus lib. 1. cap. 17. at paulò post defuncto Genethlio Aurelius successor datus est. Priorem Synodum Africanam Hippone celebravit Theodosio III. & Abundantio Consl. anno 393. Eximie Augustinum coluit, vicissim & ipse ab Augustino dilectus. Cum accepisset, Augustinum Tagaste, dein Hippone monasteria extruxisse, Augustiniani instituti Monachos Carthaginem evocavit, agrumque ædificando cœnobio tradidit; quare Augustinus gratias eidem referens Epistolâ 64. ait: *Agnum Fratribus datum provisione, & liberalitate tuâ didicimus.* Fuit ergo Aurelius insignis Augustiniani nostri instituti promotor; hinc sunt illa Augustini ibidem verba: *Omnis itaque Fratrum cœtus, qui apud nos cepit coalescere, tantâ tibi prerogativâ obstructus est, ut locis terrarum tantum disjunctis ita nobis consulueris tanquam præsemissimus Spiritu.* Plures ille Synodos celebravit, quæ codicem Conciliorum Africæ constarunt. Contra Pelagianos binas Synodos provinciales coegit, & binas itidem plenarias; Priorem provincialem contra Cælestium proximè laudavimus; Posteriorem verò egit anno 416. in quâ eundem cum Pelagio magistro damnavit. Anno 418. binas Synodos ex universâ Africâ contra Pelagianos indixit, de quibus fusiùs diximus lib. 1. cap. 13. Cum Pelagiani Zosimo Papæ imponerent, ac multa de arbitrii libertate magnificè dicentes, & plurima etiam in specie de divinâ gratiâ honorificè publicantes se se Catholicos Romano Clero venditarent, undè & pro Pelagio, ac Cælestio idem Pontifex ad Aurelium semel, atque iterum scripsit: Aurelius operam, consiliumque Augustino communicante, hæreticorum dolos per literas Zosimo significavit, quibus intellectis Pontifex encyclicis literis Pelagianos damnavit, atque Orthodoxo Orbe eosdem expulit. Literas etiam contra illos ab Augustino, ac tribus collegis subscriptas propriâ & ipse approbatione firmatas ad Innocentium transmisit. Hinc factum est, ut Sixtus citissimas de Pelagianorum damnatione literas ad Aurelium scripserit. Idem etiam anno insequenti ad Byzacenos, & Arzigitanos Episcopos pro iisdem hæreticis compescendis Epistolam misit, quam lib. 1. cap. 16. exhibuimus. Et hæc contra superbam hæresim Aurelius gessit. Hinc Prosper in carmine contra ingratos cecinit de Pelagianis in Synodo ab eodem damnatis.

An alium in finem potuit procedere sanctum Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat?

Aurelio Sanctus Doctor plures libros honoris gratiâ nuncupavit, nempe ingens, ac doctum volumen de Trinitate; librum de Opere Monachorum, & tertium de Gestis Palæstinis, seu Pelagii.

Quo anno Aurelius decesserit, in incerto est. Putavit Baronius, Aurelium effectâ jam ætate Genedium sibi coadjutorem substituendum curasse, eò quòd
in Sy-

in Synodo, quæ in antiquis codicibus Valentiniano Aug. IV. & Theodosio Confl. coacta dicitur, tum Aurelius, tum Genedius uti unâ simul Præsides sententiam dicunt, quem tamen conventum celebratum existimat Theodosio Aug. XI. & Valentiniano Cæsare Confl. anno 425. ita scribit vir insignis in Appendice in calce tomi 10. pag. 951. in addendis ad tom. 5. anno 397. Sed hanc sententiam confutavi libro 1. capite 17. quibus accedit, quod Genethlius, nam ita vocabatur, decessor, non successor Aurelii fuit; Augustinus Epist. 163. ad Elusium inquit: *Inde nescio quomodo ventum est ad commemorationem beatae memoriæ Genethlii Episcopi &c.* Itaque objerat Genethlius, cum illa Augustinus literis mandabat; scripta autem est hæc Epistola non quidem anno 412. cum Augustinus ad Synodum Cirtam se conferret, ut ad hunc annum Baronius putavit, sed anno 397. cum Cirtam idem pergeret Fortunatum ejus urbis Episcopum in demortui Profuturi locum consecraturus, ut lib. 1. superius notavimus, & patet ex illis, quæ versùs finem scribit: *Sed quia, inquit, ordinandi Episcopi necessitas nos inde jamjamque rapiebat, diutius cum illo apud Tuburcum esse nequivimus.* Anno 427. vivebat Aurelius; nam Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ait: *Ex quibus Diaconis Carthaginensibus solus est nunc in rebus humanis jam Episcopus cum honore à nobis debito nominandus Aurelius.* At illum lib. 22. scriptum fuisse circa annum 427. ostendimus lib. 1. cap. 24. Ex Marii Mercatoris libello ad Theodosium colligimus, anno 429. quo libellus ille scriptus fuit, Aurelium adhuc superstitem fuisse. Nam hic Scriptor laudans Ambrosium, Innocentium, Zosimum, Theodotum, Praylum, eosdem *beatae recordationis*, quod objerat, nuncupavit; at de Aurelio non ita loquitur, etenim de Cælestio verba faciens ait: *Ibi quoque, scilicet Carthagine, de infra scriptis capitulis apud Aurelium Episcopum memoratæ urbis per libellum à quodam Paulino Diacono sanctæ memoriæ Ambrosii Mediolanensis Episcopi est accusatus.* Quare eo anno adhuc in vivis erat Aurelius, qui tamen paulò post decessit; siquidem antè Pascha anni 431. sedebat Carthagine Capreolus, cujus literæ in Synodo Ephesinâ laudantur par. 2. cap. 9. Hinc videtur decessisse eodem fortè anno, quo Sanctus Augustinus inter superos relatus fuit, cum primatum Africæ tenuisset annos ferè quadraginta, Donatistis universâ ferè Africâ exclusis, Pelagianis in pluribus Synodis anathemate percussis, Paganorum etiam templis in Christianæ religionis usum redactis, ac in decem, & septem plenariis ex universâ Africâ Conciliis Orthodoxâ doctrinâ, ac disciplinâ egregiis legibus confirmatâ. Porro tantum ab universis illarum provinciarum Episcopis uni Aurelio tributum est, ut in Concilio Carthaginensi Honorio VII. & Theodosio II. celebrato Patres hæc eidem dixerint: *Placuit etiam petitioni omnium, ut Epistolis omnibus de Concilio dandis Sanctitas tua sola subscribat.* Aurelius in Epistolâ Bonifacii II. nomine publicatâ acriter reprehenditur, quod appellationibus transmarinis sese opposuit, sed memoratas literas esse supposititias notavimus lib. 1. cap. 17. Nam Aurelius, Augustinus, alique appellationes in causis fidei admiserunt, in illis enim supremum judicium in Romano Pontifice esse cognoscebant, ut ibidem probatum est, quod etiam egregio Sancti Doctoris testimonio Epist. 162. obiter confirmatur, ubi Donatistas Melchiadis sententiam latam in favorem Cæciliani Carthaginensis in Africâ à LXX. Episcopis damnati repudiantes veluti Eccle-

siasticarum rerum ignaros his verbis increpat. *An forte non debuit Romane Ecclesie Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Aphris septuaginta, ubi Primas Tisigitanus presedit, fuerat terminatum?* Et hæc de Aurelio Carthaginensi.

Num Pelagius tribus laudatis Patribus, quos acerrimos hostes expertus est, superstes fuerit, mihi planè incompertum fateor; ille enim dudum à Praylo Hierosolymâ ejectus obscuro exitu vitæ finem imposuit. Cælestium anno 427. adhuc in vivis fuisse liquet ex Mario Mercatore, qui in Commonitorio ad Theodosium Imperatorem hæc scribit de Cælestio: *Sic Epistolam quandam Zosimi benignitæ plenam ad Afros Episcopos meruit, quâ ille abusus est, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem.* Quo testimonio rejiciuntur ii, qui cum Joanne Latio lib. 1. de Hæresi Pelag. cap. 4. putarunt, eas Zosimi literas pro Cælestio ad Africanos datas fictitias esse. In præfatione autem ejusdem Commonitorii hæc leguntur: *Per quod Commonitorium cognito sanctissimo errore imperiali præcepto tam Julianus defensor, & sequax ejus cum cæteris sociis, & participibus suis, quam postea idem Cælestius de Constantinopolitana urbe detrusi in Synodo quoque Ephesensi CCLXXV. Episcoporum sententiâ postmodum in præsentem damnati sunt.* Quibus Marius Mercator significat, post Pelagianos Ex-episcopos anno 430. Constantinopoli ejectos, Cælestium quoque ex eadem regiâ urbe detrusum antè celebratam anno 431. die 28. Junii Synodum Ephesinam. Nulla deinceps Pelagii, vel Cælestii mentio in veterum monumentis invenio; illi enim igni, aquâque interdicti, miseri, extorres ubinam latitarint, quodè anno decesserint, ignoratur. Libros, quos superbi illi divinæ gratiæ hostes scripsere, sparsim in hoc opere indicavimus, eorumque elenchum exhibet Vossius lib. 1. Hist. Pelagianæ cap. 4. & 5.

CAPUT IX.

Pelagiani in Synodo Ephesinâ cum Nestorio damnati. Episcopus Schismaticos nullum canonem in favorem Pelagianorum statuisse monstratur.

Ultrâ promissa extendere opus fortè videbor, Anno 431. cum Historiâ de gestis, & scriptis Sancti Augustini adversus Pelagianos unâ cum ejusdem Sancti Doctoris vitâ ad finem perductâ ea prosequor, quæ in hac ipsâ Pelagianorum causâ post sanctissimi Magistri obitum integro sæculo evenere. Sed quicumque attentiori curâ considerabit, id bellum unius Augustini armis esse ab Ecclesiâ profligatum, id à me jure factum dicet, qui de Augustiniani scriptis narrationem institui. Imò longè majori gloriæ vertitur, vel mortuum Augustinum novis subinde cladibus hostibus fugatis continua Catholicæ religioni trophæa erexisse, quàm superstitem toties de eisdem triumphasse. Mortuo Augustino Pelagiani in Oriente, Semipelagiani in Occidente novas res moliri, meliora sperare, & securiùs loqui. Etenim Pelagiani Nestorio novum, atque affine dogma de Christo docenti suppetias tulerant, à cujus latere Imperatoris decreto avulsi de proximo consilia ministrabant. Theodosius quò exortos in Oriente tumultus componeret, per Petronium virum clarissimum cum Cælestino Pontifice egit de Synodo Oecumenicâ cogendâ, quo annuente Synodum ad festum Pentecostes anno 431. Ephesum indixit. Porro cum Theodosius adhuc in vivis

in vivis esse Augustinum putaret, tantum virum Synodo pernecessarium ad eandem acciendum duxit destinato ad id muneris Ebagnio Magistrano, qui ubi Carthaginem cum sacris divalibus appulit, à Capreolo, qui in Aurelii locum successerat, intelligit, Augustinum objisse, datisque eidem Imperatoris literis re infectâ Byzantium revertitur. Scriptores Augustiniani regiæ Epistolæ exemplum producunt prorsus apocryphum; Etenim illæ literæ dicuntur datæ IV. Idus Augusti Coss. Basilo, & Antiocho, cum tamen Synodus mense Junio ejusdem anni celebranda foret. Curtius, ac Torellus Consules tantum ponunt mensem, quo literæ scriptæ sint, omittentes. Sed cum literæ pro Synodo cogendâ ad Cyrillum datæ sint XIII. Kal. Novembris anno 430. itemque sacra imperialia eodem mense ad omnes Episcopos emanarit, dubiæ illæ literæ videntur Consules anni 431. præferentes. At cum Ebagnius Carthaginem tantum circa Pascha venerit teste Capreolo in literis ad Synodum, rectius fortè videri poterunt emissæ in eunte anno eodem 431. de quo nolo cum quopiam contentionis funem ducere; Aliudè tamen earum fides in dubium revocatur. Omitto enim stylum humilem, & abjectum, nec Theodosianas literas redolentem, id enim interpreti vitio deputetur, ex ipso contextu redarguuntur; hæc enim ab Imperatore scripta leguntur: *Decrevimus ad S. D. N. Cœlestinum totius Ecclesiæ Antiquitatem scribere, concilium cogat observato antiquitatis more, & ut nostrum pectus agnosceret, rogavimus, eligeret, quam volet nostri imperii civitatem, & cum Episcopis definiat, quæ nos secuturi sumus omnes inferiores. Ad ipsum tanquam primarium pertinet omnibus adhibere remedium, mihi restat, qui filius sum & Ecclesiæ ipsi deservire &c.* Hæc quidem viri eruditi, atque antiquitatis studiosi illius sæculi stylum sapere negabunt, sed paucis illius Epistolæ dicta falsitatis convinco. In primis ille titulus eorum temporum Epistolis non addebatur, non enim Imperatores Pontificem Sanctissimum Dominum nostrum appellabant, imò Pontifices ita literas claudebant: *Domini nostri Imperatoribus Coss. ut in literis Zosimi, aliorumque passim legitur.* Rursus non Pontifex, sed Imperator sacra divali Synodum indixit, ita ipsa Synodus ad Cœlestinum Papam scribit: *Quia verò necesse est, ut omnia, quæ consecuta sunt, Sanctitati tuæ significantur, non potuimus non scribere secundum omnium nostrum Salvatoris Christi voluntatem, piissimorumque, ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem ex multis, variisque provinciis Episcopos supra CC. in Ephesiorum Metropoli nos convenisse.* Postea: *Cum pia Christi amantium Imperatorum edicta, per quæ fuimus evocati, tempus Sancti Synodi confessui præscriberent diem Sanctæ Pentecostes &c.* Quin imo hoc ipsum testatus est Cœlestinus in Epistolâ ad Theodosium: *Huic cœlesti curæ, ait, vel gloriæ uniusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram in quantum valeamus impendimus, & huic Synodo, quam esse iussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus.* Epist. 9. apud Binium. Locum verò Synodo deputatum non à Pontifice, sed ab Imperatore ex his ipsius Theodosii verbis in Epistolâ ad Orientales deducitur. *Deputavimus enim, inquit, Ephesiorum civitatem terrâ, marique accessu percommodatam.* Sanctus Leo Epist. 22. ad eundem Theodosium pro abrogandâ latrociniali Synodo Dioscori scribit: *Generalem Synodum jubetis intrâ Italiam celebrari.* Pro quâ re etiam ad eundem literas dedere

Valentinianus Augustus; ejusque soror, atque uxor; quibus tamen Theodosius malè consultus aures non dedit. Illo autem anno sequenti defuncto licet Marcianus Imperator Leoni obediens concilium cogi consensit scribens ad eundem, errorem Eutychetis auferendum *per celebrandam Synodum te auctore*, noluit tamen eandem intrâ Italiam cogi, sed scripsit, se sacras missurum, *ut ad quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant convenire.* Hæc literæ leguntur antè actionem primam Synodi Chalcedonenfis. Cætera verò quàm parum congruant cum actis eâ in causâ à Theodosio nullus non videt; hic enim falsâ Candidiani Comitæ relatione deceptus acta Synodi rescidit, ac Cyrillum Sedis Apostolicæ legatum custodiæ tradendum præcepit, eumque unâ cum Memnone Episcopo Ephesino dignitate privavit, licet re postea melius cognitâ sententiam hanc revocarit. Ipsemet Cyrillus hosce titulos suis literis ad Synodum apposuit: *Sanctæ Synodo gratiâ Dei, pienssimorumque & Christianissimorum Imperatorum decreto in hac Ephesiorum metropoli congregatæ.* Sed tempus fortè in his plus iusto ablūto. Ut ut sit de his literis, constat tamen, Theodosium per Ebagnium Magistranium datâ ad Augustinum Epistolâ eundem Ephesum invitasse, quam Capreolus mortuo jam Augustino legit, ut ipsemet in Epistolâ ad Synodum affirmat: *Domini, inquit, & filii nostri religiosissimi Theodosii Imperatoris literæ hujusmodi erant, quæ felices recordationis fratris, & Coepiscopi nostri Augustini præsentiam peculiariter ratione inflagrabant. Verum quòd eorum jam tum è vivis excessisse comperissent, ego agram illam insinuationem, licet ad prædictum Augustinum destinata foret, excipere compulsus &c.* par. 2. Synodi Ephesinæ cap. 9. Eadem tradit Liberatus Diaconus Carthaginensis cap. 5. Breviarii. Verum Sanctus Doctor jam sæpè Nestorianam hæresim suis scriptis confutarat, ut patet ex lib. de Prædest. Sancti. cap. 15. & de Dono persever. cap. 24. (quos libros jam Nestorio tumultus ciente conscripsit) & in Enchiridio cap. 40. quod opus statim post damnatos Pelagianos emisit, imò in Epistolâ, seu libro ad Dardanum antè Pelagianorum damnationem scripto, quos etiam nondum nominatim impugnabat ex 2. Retr. c. 49. quærens an sit aliqua differentia alia præter ibi assignatas inter Christum, & ceteros sanctos ait: *Est plane, quòd singulari quadam susceptione hominis illius una facta est persona cum Verbo, de nullo enim Sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est.* Plura in eandem rem adducens, sacrilegam Nestorii sententiam apertè detestatus: *Quis enim, inquit, tam sit sacrilegus, ut audeat affirmare, aliquam posse animam per meritum liberi arbitrii, ut alter sit Christus, efficere?* Hæc quidem antè annum 418. scripsit, imò, & antè annum 410. in literis ad Gallicanos Episcopos de Leporii palinodiâ eandem hæresim prædamnaverat, ut lib. 1. cap. 23. narravimus; Nestoriana autem hæresis Orbi innotescere cœpit die 10. mensis Aprilis Coss. Felice, & Tauro, qui fuere anno 428. dicente pro concione Anastasio ejusdem Nestorli consiliario: *Dei genitricem nullus dicere præsumat, quoniam Maria homo fuit, & Deum ab homine generari nimis est impossibile;* ex quibus verbis à Nestorio acrius propugnatis hæresis exordium habuit. Legatur Liberatus Diaconus Carthaginensis in Brev. cap. 4. Sed ad Synodum Ephesinam redeo.

Nestorius, quò maturato ad Synodum itinere causâ securitatem ostentaret, paractis Paschalibus solem-

solemnis magnâ catervâ comitante Ephesum se contulit. Adfuerunt inter primos comites Julianus, Florus, Orontius, aliique Episcopi Pelagiani, quod ex Cœlestini Papæ literis patet: *Adfuerunt*, inquit, *nec deseruerunt eum Cœlestiani iniquitatis operarii &c.* Habuit ergo secum sui Magistros exilii, habuit hujusce rei perfectos tyro Doctores, nam separare difficile est, quos scelera junxerunt, quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum. Cùm Cyrillus Alexandria Præsul cum maximâ Patrum multitudine Ephesum venisset, nec Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus adveniret itinerum difficultatem causatus, Synodus cœpta est. Nestorius cùm Cyrillum, aliosque Patres contrâ se stare intelligeret, licet ter vocatus cum reliquis interesse noluit, imò paulò post Epheso discessit, quare à Patribus lata in ipsum sententia est, atque hæresis damnatus. Pelagianos eundem comitatos fuisse ex Cœlestini Papæ verbis deduco in Epistolâ contrâ Nestorium, quam supra laudavi. *Adfuerunt*, inquit, *nec deseruerunt eum Cœlestiani iniquitatis operarii.* Interim advenit Joannes Antiochenus, qui Cyrillo indignatus, quòd se, suisque Orientalibus inexpectatis Nestorium condemnasset, adhuc ex itinere pulverulentus cum 40. fere Episcopis acta Synodi rescindit, Cyrillum, & Memnonem sacris interdicit, damnat duodecim capitula Cyrilli à Patribus nuper approbata, atque horum confirmationem ab Imperatore furtim impetrat, quæ postea Princeps re melius intellectâ revocavit, ac Synodo accessit. Porrò illi Episcopi quadraginta, trigintaquinque postea remansere, ut colligitur ex relatione Synodi ad Theodosium per Palladium Magistrum missâ. In actis Synodi par. 4. cap. 7. & 9. nominatim omnes damnantur: lege Liberatum Diaconum cap. 6. Breviarium. Et quidam isti factò schismate sæpè simul convenerunt, legatos cum literis ad Imperatorem miserunt, aliaque permulta moliti sunt, quæ in actis Pseudo-Synodi Ephesinæ leguntur.

Porrò ubi Legatis Sedis Apostolicæ gesta Romæ adversus Pelagianos Synodo exposuere, à Patribus uno ore Pelagianorum damnatio conclamata est, testatur hoc ipsa Synodus in fine Epistolæ ad Cœlestinum Pontificem. *Ceterum ubi lecti sunt in Sanctâ Synodo commentarii de depositione impiorum Pelagianorum, Cœlestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, & reliquorum eadem cum istis sentientium, judicavimus, & nos solida, & firma permanere debere, quæ à pietate tuâ sunt decreta, sumusque omnes ejusdem sententiæ.* Ex quibus Cœlestinum contrâ Pelagianos decreta publicasse intelligimus, quæ tamen temporum injuriâ interiire. Sancivit etiam Synodus duos canones contrâ Pelagianos, qui Cœlestiani eo in Concilio nuncupantur, quòd Cœlestius apud Ephesum Presbyter consecratus longè Pelagius notior ibidem cum sectatoribus evaserat. Canones autem leguntur post decretum Synodi contrâ Orientales ad totius Orbis Episcopos transmissum, quorum quartus his planè verbis conceptus fuit: *Si qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè Nestorii, Cœlestii ve sequi dogmata, sancitum est à Sanctâ Synodo, istos quoque depositos esse.* Ita Hæresis Pelagiana anno undevicesimo postquam in Africâ primùm damnata fuit, in Asiâ ab Oecumenico Concilio proscripita est, longiſſime Pelagianorum votis satisfactum, qui Synodum damnati passim, & ubique appellabant; undè Cœlestinus in literis ad Synodum datis Idibus Martii anno 432. *Quod loqui-*

mur, inquit, *Cœlestianorum testantur exempla, quòd spem de Synodo hucusque gesserunt.* Legatur Augustinus in calce libri quarti ad Bonifacium contrâ duas Epistolas Pelagianorum.

Inter acta Synodi hujus Ephesinæ legitur canon totus Pelagii hæresim docens, ut observarunt Baronius, ac Janſenius ex Sancto Gregorio Papâ lib. 7. Epist. 47. ad Anastasium Antiochenum ubi ait: *Illæ enim Synodus, quæ sub primâ Ephesinâ imagine facta est, quædam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Cœlestii, atque Pelagii prædicamenta.* Quare Baronius anno 431. Num. 76. quem sequuntur Janſenius, Vossius, Usserius, aliique omnes, ait, illum canonem editum fuisse à Joanne Antiocheno in gratiam Episcoporum Pelagianorum, qui illius factioni se se adjunxerant; canon autem apud Sanctum Gregorium lib. 6. Epist. 31. ad Eulogium talis est: *De Adæ animâ, quia in peccato mortua non fuerit, eò quòd Diabolus in cor hominis non ingrediatur, & si quis hoc dixisset, anathema esset.* Cœlestianos, seu Pelagianos Episcopos unâ cum Joanne Antiocheno, & Schismaticis Orientalibus Conciliabulo adfuisse probant illi Scriptores ex Epistolâ Cyrilli, & ex literis Sanctæ Synodi, in quibus hæc leguntur: *Sunt autem cum illis, nempe Schismaticis, etiam Pelagiani, & Cœlestiani, & ex illis quidam, qui ex Thessaliâ sunt ejeti;* quare Joannes Antiochenus, reliquive schismatici, quòd egregiam sibi operam Pelagiani Episcopi navassent, ut gratiam aliquo pacto rependerent, canonem Pelagianæ doctrinæ conformem edidit. Hæc quidam illorum sententia est.

Verùm falli eos Auctores non dubiis argumentis ostendam. Certum in primis est, Joannem Antiochenum non admisisse ad suffragia ferenda in suo Conciliabulo eos Pelagianos, qui Nestorium secuti fuerant, nempe Julianum, Florum, Orontium, Persidium, aliosque, in quo illi Scriptores hallucinati sunt; nam initio quadraginta, & amplius Episcopi Joannis Conciliabulum subscribere, quorum nomina in actis recensentur, nullusque Pelagianorum nominatur. Rursus cùm à Sanctâ Synodo in relatione ad Theodosium per Palladium Magistrum missâ trigintaquinque Episcopi schismatici nominatim recensentur, nullus inter eos Pelagianorum cernitur, quod ipsum in literis Synodalibus, in quibus damnantur Orientales, ostenditur. Quid evidentius adduci potest ad probandum, nec Julianum, nec Florum, cæterosve Episcopos Pelagianos Nestorii comites sua suffragia in Conciliabulo Joanni Antiocheno commodasse? Hoc ipsum colligitur ex literis Concilii ad Cœlestinum, in quibus Patres loquentes de Joanne Antiocheno hæc habent: *Sibi ipsi velut collegium circiter triginta hominum nomen Episcoporum habentium collegit, quorum alii extorres vagantur, nec ecclesias habent, alii sæpè numero gravibus de causis à Metropolitanis suis depositi sunt (sunt autem cum illis etiam Pelagiani, & Cœlestiani, & ex illis quidam, qui ex Thessaliâ sunt ejeti &c.* ex quibus Pelagianos non inter illos triginta, sed potius illorum triginta comites, vel adſtipulatores esse deducimus, aliàs cur unâ cum illis triginta Episcopis Conciliabuli acta non subscribere?

Sed neque illud dici potest, Episcopos Orientales, qui pro Antiocheno contrâ Cyrillum conspirarunt, Pelagianâ hæresi infectos fuisse. Nam cùm absolutâ Synodo Antiochenus obstinato contrâ illum animo discessisset, iterumque cum iisdem Episcopis Antiochiæ Cyrillum sacris interdixisset, acceptis minacibus

nacibus literis Theodosii ab Aristolao Tribuno delatis, quibus illi, & Cyrillo, si quam primum non convenissent, exilium indicebatur, fidei suæ Symbolum texuit, quod cæteri Episcopi Antiochiam vocati subscribere, ac per Paulum Episcopum Emisionum ad Cyrillum perferendum curavit, in quo sanè symbolo, quod in actis Concilii Ephesini legitur, & recitatur à Liberato cap. 8. nisi de Christo Domino verba facit, altumque de controversiis Pelagianis silentium. Porro Sanctus Cyrillus eo symbolo lecto, Catholicum Joannem cum cæteris suis Orientalibus pronunciavit, datis de hac ipsâ re ad amicos literis. Valeriano Iconii hæc scripsit: *Universi Orientales Episcopi simul cum Domino meo religiosissimo Antiochenorum Episcopo Joanne per scriptam, manifestamque conditionem clarum constituere universis, quoniam pollutas quidem Nestorii novitates condemnant, anathematizantque nobiscum; quod ipsum ex suggesto publicè in Alexandrino templo testatus fuit. At si Joannes, & collega Pelagiana dogmata propugnassent, mancum fidei symbolum edidisset, neque Catholici pronunciari à Cyrillo debuissent, nisi etiam Cœlestii errores scripto damnassent.* Hinc cum Synodus de illis triginta schismaticis Cœlestino scripsisset, non eos quidem dignitate privatos, sed Ecclesiasticâ tantum communione exclusos, rescripsit Cœlestinus: *De his autem, qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, atque se socios ejus sceleribus addiderunt, quanquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus, quod videatur; Multa prospicienda sunt in talibus causis, quæ Apostolica Sedes semper aspexit. Quod loquimur Cœlestianorum restantur exempla, quod spem de Synodo hucusque gesserunt.* Quibus Pontifex diversam Orientalium, & Cœlestianorum causam declarat, neque in Orientalium depositionem consentit, sed tempus respiciendi tribuit, cum tamen Cœlestianis hanc indulgentiam non exhiberet, eos enim solum vertere cogerat.

Sanè Orientales irati Cyrillo, quod capitula illa duo lectim exarasset, quæ dein Synodus sequeretur, eidem reluctabantur, quasi Cyrillus unus Conciliorum Magister haberi vellet. Hinc latè contra Nestorium sententiæ nomina addere recusabant, undè Cœlestio ne dum Nestorio patronos semet præbere videbantur, ex quo ea nata suspicio est, Nestorianos eos esse, vel Cœlestianos: Ecce verba Synodi in Epistola ad provinciarum Episcopos: *Cum primis Nestorii, & Cœlestii sententias sequi manifestè sunt ex eo deprehensi, quod Nestorium nobiscum condemnare noluerunt.*

Utraque pars tum Cyrilli, tum Joannis Antiocheni communionem cum Cœlestianis sibi invicem exprobrabat, quod adversarios in hominum detestationem, atque odia traheret. Cyrillus loquens de Joanne Antiocheno ait: *Cum vix curru deslisset Joannes, cubiculumque ingressus esset, adhuc pulverulentus sententiam puridam, & stultam cum iis tulit, quos consentientes habebat. Erant autem viri agrestes, & Cœlestiani depositi, & qui Nestorii dementiam tuebantur:* In Epistola ad Cœlestinum. Porro hanc eandem calumniam Cyrillo Schismatici inurebant, ut ex eorum literis ad Rufum Thessalonicensem patet, quæ in Conciliabulo Ephesino leguntur: *Sed nec istud, ajunt, Sanctitatem tuam prætereat, Cyrillum, & Memnonem non contentos fuisse, Orthodoxam fidem corrupisse, verum omnes quoque canonicas sanctiones proculcarisse; nam qui a diversis diocæsisbus, atque provinciis excommunicatione percussi fuerunt, illos ipsos statim in communionem receperunt. Alios prætereà de diversis etiam hære-*

sibus accusatos eadem sentientes cum Cœlestio, & Pelagio (Enbitæ enim sunt, seu Eutbusianistæ) & ob id à suo Diocæsano, vel Metropolitanò excommunicatos Ecclesiasticâ disciplinâ contemptâ communioni restituerunt. Hanc quidem ab Orientalibus de Cyrillo calumniam falsò diffamatam adeò certum est, ut à nullo in dubium id vocari possit, etenim Cyrillus cum Catholicis Pelagianos damnavit. Illa verò quæ Cyrillus de Orientalibus publicabat, quod Cœlestianos in communionem admitterent, non per calumniam quidem scripta sunt, sed ex suspitione conceptâ, tum quod Pelagiani tanquam Nestorii excubitores advenerant, tum quod Orientales eidem Nestorio favere videbantur, & si qui aderant Pelagianorum, eos ad colloquia admittebant, ex quibus tamen non fit, Orientales posse à quopam tanquam Pelagianâ hæresi infectos traduci, cum nunquam Pelagianos ad ferenda secum suffragia admiserint, ac Cyrillum infamaturi eundem communicati cum Pelagianis consilii accusaverint, quæ apertè demonstrant, Orientales damnasse non modò Pelagianorum doctrinam, verum etiam personas, & nisi ex suspitione collusionis cum Cœlestio accusatos fuisse à Catholicis, quod ex supra datis Synodi verbis non obscure colligitur. Rejiciendum planè est Ricciolius, in cujus catalogo Præsulum Antiochenorum par. 1. tom. 3. Chronol. ita legitur: *Joannes Hæreticus 427.* Fuit enim Joannes Orthodoxus, ut datis ad eundem literis Sixtus Papa, Cyrillus, ac Proclus ostendunt. In Synodo Calchedonenfi act. 16. his encomiis ornatur: *Sapientissimus Joannes Antiochenus Episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans totius Orientis confessionem velut ex uno ore Sanctissimo Proclo, & ei, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinavit.* Videatur Liberatus cap. 10. Breviarii.

Hic tamen Vossii insignis scriptoris, itemque Claudii Menardi, cujus operâ duos priores libros Operis Imperfecti contra Julianum ab Augustino exaratos primum obtinimus, sententia rejicienda est. Menardus cum in actis Synodi Ephesinæ p. 4. cap. 7. itemque cap. 9. inter schismaticos à Patribus fidelium communione privatos Julianum Episcopum legerit, hunc Julianum Pelagianum esse contendit. Vossius verò lib. 1. cap. 6. Hist. Pelag. cum à Schismaticorum legatis in Epistola ad Rufum par. 3. cap. 13. Julianum nominatum viderit præsentem tunc Ephesi, ac vocatum ab eisdem *pissimum*, ac *sanctissimum Eridicæ Episcopum*, hæc subdit: *Nec dubitamus, quin idem sit, qui Campanus antea fuerat Episcopus; additque: Julianum Campano per imperiale edictum Episcopatu dejectum ad Asiaticos confugisse, atque ab his seu verum veri Episcopatus Eridicensis honorem, seu titulum saltem honoris ergo consecutum.* In primis Menardi dictum refellitur; quoniam Julianus, qui excommunicationis sententiam inibi subit, erat Episcopus Larissæ, nam part. 3. in quâ Schismaticorum apud Ephesum acta recensentur, cap. 2. post Metropolitanus inter minores Episcopos subscribit: *Julianus Larissæ Episcopus.* At hic erat Asiaticus Episcopus, nam in Synodo Calchedonenfi act. 1. inter acta Ephesini latrocini sub die IV. Idus Augusti nominatur *Meletius Larissæ Syriæ*, qui tum ibi, tum in Synodo Calchedonenfi locum tenuit Domini Metropolitanæ secundæ Syriæ; passim verò in hujus Concilii subscriptionibus legitur *Vigilantius Larissæ Thessaliæ.* Lege initium act. 6. Tempore Synodi Ephesinæ Larissæ in provinciâ Thessaliæ erat Episcopus Basilus, qui cum

cum Schismaticis sentiebat, & par. 3. cap. 2. dicitur: *Basilium Thesaliam Metropolitanus*. Larissæ verò Sedem fuisse Metropolitanam Thesaliam patet ex fels. 2. Synodi Romanæ sub Bonifacio II. ubi in literis trium Episcoporum ad Bonifacium hæc leguntur: *sancta Larissæ Ecclesiæ, quæ est Metropolitana civitas provincie Thesalia*. Ad hunc Basilium Larissæ Metropolitanam habentur literæ Cœlestini editæ ab Holstenio cum laudatâ Synodo Romanâ. Julianus ergo Pelagianus non erat Episcopus Larissæ in Thesaliâ; alter verò Julianus erat ex provinciâ Syriæ secundæ, qui suo Patriarchæ Antiocheno contrâ Cyrillum cum Orientalibus adhærebat. At Vossio nova hæc civitas Eridica persuaderi fortè potuit ex his verbis Schismaticorum in literis ad Rufum Thessalonicensem par. 3. cap. 13. *Siquidem ex literis, quas pietas tua ad Julianum piissimum, sanctissimumque Eridicæ Episcopum perscripsit, aliud te statuisse haud omnino obscure cognovimus. Mores hic autem piissimum illum Episcopum, & quidem seriò mones, ne pro fidei, quam Beati Patres Nicanæ exposuerunt, defensione, ullum omnino laborem, aut molestiam detrectet &c. Neque is sequitur, qui accepit, literarum consilium exequi hætenus contendit*. At hunc Julianum non esse illum Pelagianum indè evidenter constat, quòd Rufus Apostolicæ Sedis per Illyricum Vicarius Julianum tamque hæreticum, ac fidelium communione privatum minimè per literas convenisset, aut fidei tutelam Hæretico infami commendasset. Quantum Rufus Pelagianos detestaretur ostendimus libro 1. cap. 19. Certè in hac ipsâ Synodo per Flavianum Philippensem Legatum nominatum Julianum cum aliis Episcopis Pelagianis damnavit. Laudanda est correctio Lucæ Holstenii, qui in notis ad Synodum Romanam memoratam pag. 285. ubi de Cœlestini Epistolæ titulo verba facit, librarii mendam advertit, qui pro τῶν Σερδικῶν scripsit τῶν Εριδικῶν pro Serdicâ Eridicam reddens. Ille enim Julianus erat Metropolita Serdicæ in Daciâ mediterraneâ, ad quem extant literæ Theodosii Imperatoris par. 3. cap. 15. in titulo inscriptæ post alios Metropolitanas: *Juliano, Basilio*, Illyricianis Metropolitanis; iidem etiam nominantur in titulo Epistolæ Cœlestini ad Episcopos per Illyricum, quæ num. 13. in Synodo Bonifacii II. recitantur. Hinc Schismatici in Epistolâ memoratâ, quò plurimorum suffragia pro se venditarent, inter reliquos Episcopos eos etiam publicaverunt sibi favere, qui *Daciam* inhabitabant, Julianum Dacorum Metropolitanam intelligentes. At cum nusquam inter schismaticos, quorum catalogus sæpè ibi recitatur, idem connumeretur, vana, ac ficta de eodem Juliano eosdem scripsisse non dubito; quem tamen, cum neque inter Patres legitimi Concilii legam, puto eundem dubium, in quam partem transiret, universâ urbe Episcoporum dissensionibus turbatâ, neutri parti nomen dedisse. Atque hæc contrâ fictum apud Ephesum à Vossio Juliani Pelagianistæ Episcopatum dicta sufficiant.

Illud hic occasione literarum Theodosii Imperatoris, in quibus Julianum Serdicæ Metropolitanam nominari diximus, quærendum occurrit, cur eorundem literarum titulus insigniores Episcopos recensens ita incipiat: *Cælestino, Ruso, Augustino*, &c. nam Augustinus anno superiore obierat. Certè Epistola Imperatoris scripta est ad minùs mense Julio undecimo mense ab obitu Sancti Doctoris; scribit enim Imperator, probare se peractam apud Ephesum Nestorii, Cyrilli, ac Memnonis exauktionem; at

Nestorius die 22. Junii depositus fuit, ac quinto postea die eadem sententia à Schismaticis lata est contrâ Cyrillum, ac Memnonem. Respondeo nondum Constantiâ innotuisse Augustini ad superos transitum; Africa enim non ad Orientale Theodosii, sed ad Occidentale Valentiniani imperium spectabat, unde Africæ res minùs Constantinopoli notæ erant. Quare dictator Epistolæ hanc ipsam inscripsit non his tantum, qui reapse in Ephesinâ Urbe Synodum agebant, quamvis latam ab ipsis contrâ tres illos Episcopos sententiam se probare Imperator scribat, sed eorum nomina repetivit, ad quos Imperator sacram ad concilium evocatoriam miserat, quos inter fuit Sanctus Augustinus, ut ex literis Capreoli ad Synodum colligitur. Certè neque Cœlestinus Papa, neque Rufus Thessalonicensis, neque Rembulus, aliàs Rabulas Edeffenus, alique, qui ibidem cum Augustino nominantur, interfuere Synodo Ephesinæ. Illud tamen Augustino gloriæ vertitur, quòd idem in literis imperatoris post Romanum Pontificem, ac Rufum Apostolicæ Sedis per universum Illyricum Vicarium perpetuum, antè reliquos Metropolitanas nominatur: tantum illi honorem ob eximiæ eruditionis, ac sanctitatis famam Theodosius deferendum decrevit.

Orientalibus à Pelagianæ hæreseos notâ vindicatis, quid de canone illo Pelagiano, quem Gregorii Magni testimonio in Schismaticorum actis legi Baronius, alique scripserunt, dicendum sit, paucis exponam; profectò evincam, canonem illum ab iisdem Orientalibus nequaquam profectum fuisse, nec hujus dicti alterum à Gregorio testem dabo, qui lib. 6. Epist. 31. ad Eulogium Orientales, qui cum Joanne Antiocheno contrâ Cyrillum steterent, ab omni Pelagianismi suspitione absolvit; etenim postquam dixit, transmissas sibi fuisse definitiones veluti ab Ephesinâ Synodo assertas, quarum una erat: *Ad animam peccato non esse mortuam, quoniam diabolus in cor hominis non ingreditur*, hæc scribit: *Quia ergo perscrutantes Ephesinam Synodum nihil in eâ tale invenimus contineri; de Ravennati quoque Ecclesiâ vetustum valdè codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & ad Synodum, quam habebamus, eum ita concordare invenimus, ut in nullo discreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis, & reprobationis, nisi quòd duodecim capitula beatæ mem. Cyrilli reprobat*. En apertissimè testatur Gregorius, Orientales Schismaticos nihil Pelagiano simile dogmati docuisse, sed tantum anathemata publicasse contrâ duodecim Cyrilli capitula, quæ etiamnum ex actis conciliabuli Schismaticorum patent. Et ut verum fatear, scriptores, quos impugnamus, Gregorii sensum minimè assecuti sunt; hic enim non scribit in eâ Epistolâ seu ad Eulogium, seu ad Narsem Comitem, canonem illum Pelagianum Ephesi ab hæreticis, vel à Schismaticis insertum, sed ait, quendam Pelagianum acta Synodi suis annotationibus correxisse, & dictum catholicum Ephesinæ Synodi expunxisse addito canone Pelagiano. Ut enim intelligatur Epistola lib. 6. 31. ad Eulogium, legenda prius est Epistola ad Narsem Comitem lib. 5. Num. 14. In hac scribit Sanctus Pontifex: *Hunc ergo locum (nempe cum peccavit Adam, ejus est anima mortua) qui in eodem codice, qui mihi à fratre meo Joanne Episcopo transmissus est, annotavit hæreticum, Pelagianus est, quia sententia ista evidenter Pelagii est*. At in Epistolâ ad Eulogium scribit: *Prætereà antè triennium cogente causâ Monachorum Isauria, qui hæretici accusantur,*

bantur, satisfaciens mihi quondam frater & confacerdos meus Dominus Joannes literas misit, quibus nitebatur ostendere, eos Ephesinæ Synodi definitionibus contradixisse, & velut ex eadem Synodo certa nobis, quibus ipsi obstitissent, capitula destinavit. Inter alia autem scriptum illic continebatur, de *Adæ animâ*, quia in peccato mortua non fuerit, eò quòd Diabolus in cor hominis non ingreditur, & si quis hoc dixisset, anatHEMA esset. Ille verò codex transmissus à Joanne Patriarchâ Constantinopolitano non erat codex continens acta Synodi Ephesinæ, ut contrariæ sententiæ auctores existimarent, sed codex contrâ quendam Athanasium Presbyterum ex Epist. 14. ad Narsem. Neque oppositum docet lib. 7. Epist. 47. ad Anastasium Antiochenum dum scribit: *Sed quia ex annotatione hæretici codicis, qui ad me ex regiâ urbe transmissus est, agnovi hoc, quòd quedam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehensa, nempe signis, & annotationibus à Pelagiano appositis, de quibus lib. 5. Epist. 14.*

His omnibus accedit, Theodotum Patriarcham Antiochenum in Orientalium Patrum Synodo Pelagianos damnasse, ut cap. 4. observavimus; undè Joannem etiam ejusdem immediatum successorem eadem cum Theodoto sensisse non dubito, præsertim cum Nestorius ipse ejusdem Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter originale peccatum minimè negaverit, teste Sancto Cœlestino Papa in literis ad ipsum Nestorium datis. Hoc argumento solidè probatur, Orientales Episcopos canonem pro Pelagianis non scripsisse, quos paulò antè in Synodo concordî sententiâ damnarent. Hæc autem à me scripta sunt, ut vel minimam honoris umbram Pelagianis Ephesi desuisse monstrarem; in eâ enim Synodo tum à Catholicis, tum à Schismaticis, tanquam humani generis pellis ejecti, non dare suffragia, non causam dicere, non loqui permitti sunt. Orientales enim probè norant, jam illos à quatuor Romanis Pontificibus esse damnatos, expulsos ab Attico Constantinopoli, à pluribus Conciliis Africanis proscriptos, & paulò antè à semet in Synodo à Theodoto Antiochiæ habitâ erroris notatos. Damnata igitur in Synodo Ephesinâ unâ cum Nestorianâ hæresi Pelagianâ, Sanctus Prosper vir sanè lepidi, & arguti ingenii utriusque hocce epitaphium inscripsit.

EPITAPHIUM

Hæreseos Nestoriana, & Pelagiana.

*Nestoriana lues successi Pelagiana,
Quæ tamen est utero progenerata meo.
Infelix misera genitrix, & filia nata,
Prodivi ex ipso germine, quod peperit.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
De capite ad corpus ducere opus voluit.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habuit.
Et consanguinea post tristia vulnera fraudis,
Aspera conservi prælia sine pari.
Me tamen una dedit vitam sententia letho,
Illa volens iterum surgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque sepulchrum
Intrat, & inferni carcere ima subit.
Quò nos præcipientes insana superbia mergit;
Exutas donis, & tumidas meritis?
Nam Christum pietate operum, & mercede volentes
Esse Deum, in capitulis federe non stetimus.
Sperantesque animi de libertate coronam,
Perdidimus, quam dat gratia, justitiam.*

*Quique igitur geminæ miseris busta ruina,
Ne nostro exitio confociare, cave.*

*Nam si, quæ Domini data munera serò fattur,
Hæc homini credis debita, noster eris.*

Sanè decuit consanguineas hæreses eodem ictu, eodemque loco decumbere. Nestorius propè Antiochiam in suburbano Sancti Euprepîi monasterio vivere jussus quadriennio ibidem degit. At cum pessimæ doctrinæ peste singulos quosque afflaret, Joanne Antiocheno curante Oasim exul deportatus fuit. Erat ea Marmaricæ urbs in confiniis Ægypti. Ibidem vivebat anno 439. teste Socrate lib. 7. cap. 34. ubi de Nestorio ait: *Eriamnum depositus, & in exilium actus Oasim incolit.* Scribebat autem ista Socrates ex cap. 48. Theodosio Aug. XVII. Cos. Quas postea calamitates ex barbarorum incurfione, ac frequenti mutatione exiliû justo Dei judicio perpassus fuit, antequam turpi exitu vitam finiret, recitat Evagrius lib. 1. cap. 7. Nestorio ergo intrâ monasterii septa conclusio Julianus cum collegis in Italiam reversus quid postea tentarit, inferius exponemus.

CAPITULUM X.

Cælestinus Pontifex Sancti Augustini reprehensor compescit, ac Pelagianos damnat. Mors ejusdem. Cassianus à Sancto Prospero confutatur. Semipelagianorum ex eodem descriptio.

Dum hæc in Oriente adversus Nestorium gerebantur, Semipelagianorum factio in Galliis dies augebatur. Horum petulantiam postremi duo libri ab Augustino paulò antè obitum ad Prosperum, & Hilarium transmissi non modò non reprefferant, sed insolentiores quoque in Sanctum Doctorem longè reddiderant; nam passim Augustinum traducere illis familiare erat, quasi nimio disputandi fervore contrâ Pelagium abreptus in periculosos excessus exorbitasset. Quare Prosper, & Hilarius, qui Augustini libros adversus calumniantium insultationes defendendos susceperant, non magis de ejusdem, quàm de Ecclesiæ totius auctoritate solliciti, cum per se validissimo tot hostium impetui obviam ire posse diffident, Romam ad Cælestinum Papam profecti novorum Sancti Augustini hostium conatus, insidias, ac consilia eidem exposuere. Cælestinus de sui quondam amicissimi Antistitis honore anxius gravi referipto hominum audaciam compressit datis ad Galliæ Episcopos literis, in quibus eisdem acriter increpuit, qui tantum licentiæ nescio quibus Presbyteris darent: *Timeo, inquit, ne committere sit hoc tacere, timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspitione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito nanque causa nos respicit, si cum silentio fapeamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* Postea Semipelagianorum adversus Prosperum, & Hilarium conatus fugillans, totus in Augustini laudes effunditur: *Nec tamen, ait, mirari possumus, si hæc ergà viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.* Augustinum sanctæ recordationis virum pro vitâ suâ, atque meritis in nostrâ communionem semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspitionis saltem rumor aspersit, quem tanta scientiâ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam

Anno
432.

etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpotè qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori, undè resistendum talibus, quos malè crescere videmus.

Cœlestinus Apostolicâ auctoritate adversus Semi-pelagianos Augustini doctrinâ defensâ, paulò antè obitum contrâ Nestorianos, & Pelagianos eâdem die ternas literas exaravit datas Idibus Martii anno 432. In primis gratulatus Maximiano Byzantii in Nestorii locum suffecto, eundem his contrâ Pelagianos instruxit: *Locum impietas novella non habeat, & compresso olim per totum Orbem sua damnatione noto Cœlestiano errori à tuâ vigilantia resistatur, ut quicumque hujus dogmatis sunt sequaces ab omni societate repellantur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus his in omnibus, qui ad has quascumque conantur provincias pervenire, ne eorum inopia prædicatio resurgat, obsiste eis, ita enim, ut damnentur, quocumque perveniunt, innotescunt, & tanquam non illis sententia toties repetita sufficiat, longinquas terras, remotasque provincias inquietant.* Eâdem etiam die leguntur scriptæ literæ ad Constantinopolitanos, in quibus de Pelagianis Nestorii sociis, inquit: *Assueverunt inter alios nec deseruerunt eum Cœlestiani iniquitatis operarii. Habuit ergo secum sui Magistros exilii, habuit huiusce rei perfectos tyro Doctores, nam separare difficile est, quos scelera junxerunt, quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum. Quis tandem horum finis est? nempe ille, quem legimus: irridebit illos Dominus, & erant post hæc decedentes finè honore in contumeliâ inter mortuos in æternum &c.* In Epistolâ verò ad Sanctam Synodum ait: *Quod loquimur Cœlestianorum testantur exempla, quod ipse de Synodo huc usque gesserunt.* Verùm intrâ paucos dies, nempe V. Idus Aprilis Cœlestinus obiit magno apud Ecclesiam, & Augustini cultores præsertim sui desiderio relicto, quippè qui contrâ Pelagianos Synodum animavit, ejus sectæ Episcopos suis sedibus exclusit, & sectæ quoque Magistrum Cœlestium è conspectu amotum totâ Italiâ ejecit. Hic idem Sancti Augustini jam inter superiores se Pontifice relati primus Romanorum Præfulum doctrinam consecravit, habuitque cum illo literarum commercium, ut ex Epist. 261. patet, in quâ Augustinus animi sui angore in causâ Antonii Fussalensis Cœlestino patefacit. Epistolam etiam Augustini 62. Condiacano Cœlestino inscriptam cum alterâ annexâ ad hunc eundem Cœlestinum, qui ex Romanæ Ecclesiæ Diacono Pontifex evasit, datam existimo, nam missa est per *Abinum acoluthum*, quando idem anno 418. literas ad Sixtum ejusdem Romanæ Ecclesiæ presbyterum detulit ex Epist. 104. & 105. Utraque verò Epistola Cœlestini scilicet, ac Sixti Hipponem Augustino absente delata fuerat, ut ex responsione Sancti Doctoris intelligitur initio Epistolæ 62. ad Cœlestinum, ait: *Quamvis longè absens fuerim, quando per Projectum Clericum ad me directâ Hipponem Sanctitatis tuæ scripta venerunt.* Etenim Cæsaream usque perrexit, uti cap. 15. lib. 1. nobis narratum est. Laudata Augustini Epistola eximium ejusdem ergâ Cœlestinum amorem ostendit. Sed de his accuratius agent eruditissimi, ac doctissimi Patres nobilissimæ Benedictinæ Familiæ in nova voluminum Augustinensium editione, quam grandi apparatu, majorique Reipublicæ Ecclesiasticæ utilitate Parisiis ad D. Germani à Pratis adornant, dum Epistolas Sancti Doctoris huc usque præpostero ordine locatas suo loco restituent, additisque notis ultrâ eruditorum vota (mirum enim dictum est, quanto labore operi diu, noctuque incumbant) illustrabunt. Cœlestino successit Sixtus III.

qui antè annos quatuordecim sub Zosimo primo in Pelagianos anathema pronunciaverat, Sanctorum Augustini, & Alipii amicus, ut ex Epist. 104. cognoscitur.

Massilienses tamen in Galliâ Cœlestini literis haud repressi sunt, sed commendatam in illis dicebant priorum Sancti Augustini voluminum doctrinam, non verò approbata ea, quæ ad Adrumetinos, & paulò post ad Prosperum, & Hilarium scripserat. Collationes etiam Cassiani passim per totam Galliam non modò legebantur, sed acriter defendebantur. Quare Prosper Semipelagianorum audaciâ obviam eundem ratus volumen emisit, quod contrâ Collatorem inscripsit, in quo ea, quæ Cassianus in decimâ tertiâ Collatione ad Lerinenses perperam de divinâ gratiâ docuerat, vellicat, ac confutat. In præfatione quidè Semipelagianos Lerinenses, & Massilienses Monachos Cassiani describit, ut postea dicemus. Ille autem statim pro Sancto Augustino se in arenam descendere profitetur inquit: *Gratiam Dei, quâ Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino Episcopo non rectè esse defensam, librosque ejus contrâ errorem Pelagianum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt.* Testatur autem Prosper se unum Cassianum arguere, quòd illis omnibus in sanctarum scripturarum studio præstaret, & disputandi usu excelleret inter eos, quibus cum debebat. Porro duodecim Cassiani assertiones eo in opere examinat, quarum indicem versùs finem subnectit, & uti ab Augustini encomiis ejus libri initium fecit, ita & delatis Augustino laudibus eundem conclusit, argutè adversarios irridens, qui Cœlestini Papæ approbationem prioribus tantùm Augustini libris applicandam esse contenderent. Quò verò Sixti Pontificis animum ad favorem Augustinianæ doctrinæ inclinaret, hæc scribit: *Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Xysto, & in custodiâ Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi Lupos abigere manifestos, ita hic depellat occultos: illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est.* Laudatque Augustini verba ad eundem Sixtum Epist. 104. brevissimâ postea peroratione concludens ait: *Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores Sancti Augustini & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, prempriorumque armis intestinum bellum moventes divinis, atque humanis constitutionibus rebellare &c.* Hæc autem scripsisse Prosperum circâ annum 433. colligitur ex iis quæ de Augustino tradit in præfatione: *Viginti amplius annis contrâ inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus VIRI ductu pugnat, & vincit.* Cùm Augustinus anno 412. ut lib. 1. cap. 4. dictum est, Pelagianos impugnare cœperit, palam fit, Prosperum contrâ Collatorem scripsisse ad annum 433. Nonnulli arbitrantur hoc tempore Cassianum non fuisse superfitem, quasi Prosper mortuo insultare voluisset, quo vivente calamo timoris gratiâ pepercisset. Video illos cum Vossio lib. 1. cap. 7. Gennadium auctorem dare, qui in lib. de Viris Illustr. cap. 61. de Cassiano ait: *Rogatus à Leone Urbis Romæ Episcopo scripsit adversus Nestorem de Incarnatione Domini libros septem, & in his scribendi apud Massiliam, & vivendi finem fecit.* Hosce verò libros scriptos anno 430. patet, nam nondum damnato Nestorio editi sunt, hoc est antè annum 431. Certè Cassianus lib. 1. de Incarnat. cap. 3. meminit literarum Nestorii pro Episcopis Pelagianis ad Cœlestinum hæc scribens: *Intercessionibus suis Pelagianistarum quærelas foret,*

Anno
432.

& scriptis suis causas illorum adserit, quibus Nestorii literis Cœlestinus responsum dedit anno 430. III. Idus Augusti. At scripsisse Prosperum vivo adhuc Cassiano ex ipsomet Prospero habemus, qui de eodem ita loquitur: *Unius potissimum definitionem, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum scripturarum studio præstare, referemus. Item: Vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu inter eos, quibus cum egit, excelsit, Abbatem quendam introducit &c.* Quod verò Prosper diù distulerit scriptis Cassianum confutare, hoc ipsius modestiæ, & erga hominem totâ Galliâ celeberrimum reverentiæ dandum est; nam vivo adhuc Augustino impugnasse illum Cassiani collationes ex Epistolâ ad Rufinum ad annum 429. probavimus. Imò in Chronico ad hunc ipsum annum Theodosio XIV. Cos. Cassiani ut adhuc superstitis mentionem satis honorificam facit, quo iterum argumento Vossii sententia confutatur; si tamen illa Prosperi manu scripta sunt, de quo viri eruditi dubitant, cum in multis codicibus non legantur.

Nonnulli eo ferè tempore quindecim breviores sententias, & has prorsus absurdas publicarunt veluti ab Augustino assertas, ut tali commento, & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti Lectoris averterent. At idem Prosper, qui mortuo Augustino totius belli onus subjerat, edito libello, quem *ad capitula Gallorum responsiones* vocavit, calumniarum nebulas procul ab Augustino amovit. Hoc autem opusculum post librum contrâ Collatorem editum existimo, quod initio illius contrâ Cassianum se scribere protestatur omittens interim, *quæ vulgus, inquit, ignobile, & procax ineptiorum loquacitas intemperanter effundit.* Itaque Prosper veluti Augustini interpres, & defensor in ore famæ versabatur; quare Camillus, & Theodorus Genueses Presbyteri cum quibusdam difficultatibus in libro Sancti Augustini de prædestinatione SS. premerentur, per literas Prosperum convenientes dubiorum solutionem rogarunt, quibus è vestigio Aquitanus noster satisfecit misso volumine inscripto: *Ad excerpta Genuesium responsiones.*

Hi quidem, contrâ quos Prosper pro Augustinianâ doctrinâ acerrimè depugnavit, superiori sæculo Semipelagiani vulgò dicti sunt; Undè apud plerisque rerum Ecclesiasticarum minus peritos tanquam hæretici traducuntur, cum tamen Catholici viri fuerint, & literarum famâ, ac sanctitatis opinione illustres; quæ quidem quamvis cap. 2. paucis insinuaverim, operæ pretium duxi, hæc ipsa fusiùs ex Divo Prospero ostendere, præsertim cum in sequenti capite probaturus sim, Faustum Abbatem Lerinensem, ac Vincentium sub eo Monachum ad Semipelagianos accessisse, & Sancti Augustini sententiam de prædestinatione gratiâ impugnasse; nam video plerisque ægrè ferre, Vincentium Semipelagianis accenseri, quasi eâ ratione inter proscrip̃ta hæreticorum capita reponatur. Quare ut hominum censuras fugiam, vel saltem mitigem, simulque invidiam declinem, Semipelagianorum doctrinam, sanctitatem, ac consilia ex Prospero describam; hic enim, cum eisdem convixerit, ac sæpiùs pro suo Augustino manus conseruerit, suis coloribus illos affabre delineavit. Ille ergo licet durius Semipelagianos excepit, nusquam tamen eosdem hæreticos nuncupavit, sed Orthodoxi eos dogmatis professores planè affirmavit. Scribit cap. 33. contrâ Collatorem: *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, nisi ea, quæ in colluctationibus domesticis sæpè defensa sunt,*

etiam scripta legerentur. Idem in Epistolâ ad Augustinum ait: *Quicquid etiam in libris contrâ Julianum ab ipso sub hac quæstione objectum potentissimè debellasti, hoc totum ab istis sanctis intentiosissimè conclamatur.* Et versùs finem addit: *Quorum tam abrupta defensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat. Deinde ne simplices quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi asiment, quod audiunt eos, quorum auctoritate sine iudicio sequuntur, asserere.* Quanto autem in honore essent ob vitæ sanctimoniam vulgò de ipsis jactatam in eadem epistolâ hæc significat: *Possumus quidem ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo Sacerdotii honore supereminent, nec facillè quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus amatores tantis superiorum disputationibus ausus est contraire.* Tantâ quidem auctoritate apud universos pollebant, ut pauci tantum, quibus Dei magis, quàm hominum gratia cordi erat, eisdem se se opponere auderent. Imò licet nulli eorundem opiniones abhorrerent, hominum tamen potentiam reveriti id publicè contestari pertimescebant. Ceteri autem Semipelagianorum famâ permoti pedibus in illorum sententias ibant: hæc scribente eodem Prospero ad Augustinum: *Multos reverentia eorum aut inutili cobibet silentio, aut incurioso ducit assensu.* Cum tamen scient, quantâ in æstimatione Augustinus ubique Orthodoxarum gentium esset, quò citrà invidiam ejusdem scripta censuræ subicerent, publicabant se in uno, aut altero tantum dogmate ab Augustino discedere; in cæteris verò ejusdem doctrinam non modò se tenere, verum etiam admirari. Hujus quoque testis venit Prosper, cujus verba dedimus cap. 2. Novo autem commento, ac subdolo consilio securiorem sibi ad Augustinum oppugnandum aditum faciebant; etenim quædam dicebant se non probare, quæ Augustino æstu disputationis abrepto exciderant, commendare verò alias ejusdem sententias, quas procul ab omni impetu veluti pacatâ, ac tranquillâ mente docuerat; id ferè ubique in ore habentes, nempè se Apostolicæ Sedis contrâ Pelagianos decreta ad minimum usque jota admittere, tantam autem reverentiam Augustino se nec posse præstare, nec debere. Hæc de Semipelagianis scribuntur in cap. 3. Epistolæ nomine Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliarum datæ: *Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate, seu imperitiâ demorantes piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessariū modum exceleserint, obloquuntur, eaque tantummodò sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contrâ inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulorum suorum sanxit, & docuit, &c.* Quâ quidem contestatione & famæ, ac suæ ipsorum sententiæ callidè consulebant, dum se & Catholicos, & Apostolicæ Sedis obsequentes profitebantur.

At Sanctus Prosper, cum optimè intelligeret in Semipelagiano bello, non modò cum hostium doctrinâ, verum etiam cum vulgi de eisdem opinione sibi luctandum esse, antequàm cum Cassiano adversarii agminis

agminis Duce manum confereret, paucis significavit, quod hominum genus impugnandum suscepisset; ita ergo præfatur. [Gratiam Dei, quæ Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino Episcopo non rectè esse defensam, librosque ejus contra errorem Pelagianorum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt: *quorum intus inverstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quam foris latrans hæretica loquacitas, nisi ejectis extrà ovile Dominicum Lupis sub nomine ovium suffragarentur, essentque hujusmodi, ut ordo eorum in Ecclesiâ, nec ingenia despicienda esse videantur.* Siquidem HABENTES SPECIEM PIETATIS in studio, cujus virtutem distentur in sensu, *trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis corda conturbant; atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratiâ locutos, inimicos gratiæ persuadeant injustè damnatos esse.* Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis, pravisque feminibus augeatur quotidie, & ab ortu suo latius, longiusque distenditur; sed studendum est, quantum Dominus adjuvat, ut FALLACIUM CALUMNIATORUM HYPOCRISIS detegatur, qui ex ipsâ injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt ab INDOCTIS, ET PARUM CAUTIS EXCELLENTIORIS SCIENTIÆ JUDICANTUR, & mihi sero, perversoque successu facilem mendacio consensum eliciunt, quia REVERENTIAM SIBI PRÆSUMPTIONE pepererunt. Nec enim, cum sint BONÆ OPERATIONIS VIRI, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ aut temeritate judicii in superflua querelâ conclamationem potuisse prorumpere, & non potius MAGNO INGENIO, AC VEHEMENTI STUDIO laborasse, ut SUBTILISSIMI TRACTATORIS disputationibus comprehensis CENSURA nunc restrictior, & inspectio sagacior inveniret, quod antea secutus favor, & benignitas incuriosa non viderat. Undè ergo hæc diligentia tam severi emerfit examinis? undè in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis seraravit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum numeros syllabarum INSIDIOSUS SCRUTATOR eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si Catholico Prædicatori notam erroris affigat? Quasi incognitum aliquid opus, & quod hæcenus latuerit impetatur, ac non illa his moribus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, & Diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies HUIUS VIRI ductu pugnat, & vincit. Vincit dico, quia non patitur respirare, quos vincit, & in quorum excidium unam cunctorum Sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi Pontificio, & communione privati querantur quasi de felicitate nostræ victoriæ, & arment linguas suas, quia exulare à veritate, quam cives esse Ecclesiæ maluerunt. NOSTRI AUTEM CONCORPORALES, & PARTICIPES GRATIÆ CHRISTI cur de his armis, quibus communis fides est defensata causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? Tantæque insolentiâ damnati foventur errores, ut Auctores nostri pulsentur, & Judices. An verò ita se NOVORUM CENSORUM norma exactior temperavit, ut nulla eorum, quæ excisa sunt asserat, & quædam ex his, quæ defensa sunt, respuat? Ecce salvâ Catholicæ pace victoriæ, salvâ indissolubilium reverentiâ

decretorum parati sumus PATRONOS DOCTRINÆ EMENDATORIS audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituitur in medio quod de NOVIS emerfit INGENIIS, Hæc magnus Augustini defensor.

Idem etiam in eodem opere contra Collatorem postquam Semipelagianorum opiniones illorum Magistro Cassiano expugnasset, in eisdem rursus invehitur à capite 41. ubi fusiis eorum conatus, & artes pluribus exaggerat, quæ quidem omnino legenda sunt; non possum tamen ejusdem perorationem omittere; Sufficiens, inquit, ut arbitror demonstratum est, REPREHENSORES S. AUGUSTINI & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, PEREMPTORUMQUE ARMIS INTESTINUM BELLUM MOVENTES divinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à FRATERNA SOCIETATE divisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio, donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum suorum ministros hæc, quæ PER PAUCORUM SUPERBIAM, & QUORUNDAM IMPERTIAM sunt turbata, componat &c.

Hæc Prosper, cujus fides in dubium à nemine revocari potest, cum constet, adeo esse antiquiorem Prosperum, ut aliqua etiam temporis parte coætaneus fuerit Augustini, habueritque cum illo literarum, & doctrinæ familiare commercium in iis præsertim quæstionibus, quæ cum Semipelagianis disputabantur, cum convixerit Semipelagianis, & in eâ vitæ, ac conventionum consuetudine quid sentirent, aut in quo dissentirent vel ab Augustino, vel ab Ecclesiâ quasi oculis usurparit suis, cum nemo unquam ardentius eorum errores insectatus sit, nemo acrius egerit causam Augustini postea defuncti, ut videatur illius & arma, & vices gessisse ad tuendam, quam veluti deposito acceperat ejus doctrinam. Hæc testatur, seu melius fatetur Pater Franciscus Annatus lib. 2. sui Aug. vindicati cap. 5. §. 2. cui fideli echo concinit ex eadem familiâ Pater Stephanus Decamps lib. 3. de Hæc. Jansen. disput. 7. cap. 1. num. 2.

CAPUT XI.

Faustus Abbas Lerinensis, & Vincentius Monachus ambo Semipelagiani. De Vincentio Lerinensi id pluribus contra vulgarem opinionem ostenditur.

Hoc ipso anno 433. Faustus, qui postea Rejorum Episcopus duos contra Sanctum Augustinum libros scripsit, electus est Lerinensium Abbas, ut dicemus, qui quod plurimos Augustino hostes fecit, stylum ad alia proferantem sistit, ut de hoc Sancti Doctoris adversario pauca præmittamus, quæ minus diligenter ab aliis observata sunt, præsertim cum Baronius ad annum 490. plura de Fausto congerat, quæ suis, quoad fieri poterit, temporibus assignabimus. Faustus eandem, quam Pelagius habuit patriam, nempe Britanniam; etenim Sidonius, qui supra cæteros Fausti cultor fuit, hæc ad eundem scribit lib. 9. Epist. 9. *Legi volumina, quæ Rjochatus Antistes, ac Monachus, atque istius mundi bis peregrinus Brit. annis tuis pro te reportat.* Sanctus Avitus Episcopus Viennensis, qui Fausto convixit in Epistolâ ad Regem Burgundionum Faustum Britannum ortu affirmat. Juventam optimis disciplinis dicavit; Philosophiæ præsertim se totum addixit, à cujus studio neque inter Lerinensis eremi squallores animum revocavit; hæc Fausto scribit idem Sidonius de philosophiâ loquens: *Hæc ab annis vestra jam dudum pedis-*

pedisequa primoribus, hæc tuo lateri comes inseparabilis, sive in palæstris exercereis urbanis, sive in abscessibus macerare solitudinibus. Ex quibus forenses prius causas Faustum agitate suspicor. At Honorati, aliorumque Lerinensium Patrum famâ permotus Deo arctius adherendi desiderio flagrans apud Lerinam Monasticam vitam professus tanto omnium virtute fulgore nituit, ut Maximi successor esse meruerit, Sidonio dicente in Eucharistico ad Faustum.

— fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cuius Monachusque Antistes, & Abbas Bis successor agis.

Quo verò anno Faustus post Maximum præfecturam Lerinensem indeptus sit, non una est virorum eruditorum sententia. Baronius ad annum 441. pag. 10. ait, Maximum electum Episcopum Rejorum post Prosperum, nempe anno 466. quare hoc anno Faustus apud Lerinam Maximo successus fuisset. Hæc tamen sententia extrâ veram chronologiam vagatur, nam Sanctus Honoratus Episcopus Massiliensis in Vita Sancti Hilarii Arelatenfis cap. 5. *In eodem, inquit de Hilario, loco tunc temporis Sanctum Faustum Presbyterum pariter, & Abbatem ita futurorum præcius honoravit, ut inter se, & Sanctos sacerdotes Theodorum, & Maximum medium compelleret residere:* Quando nempe Hilarius morienti seni Caprasio primo Lerinensis Insulæ Monacho adesse voluit; cum verò Hilarius decesserit anno 449. habemus antè eum annum & Maximum Episcopum, & Faustum Abbatem. Uterque ad annum 429. Episcopatum Maximi statuit, eo ductus argumento, quòd ex vetusto codice Lerinensi; quem recitat Barralius in chronologia Lerinensi, legatur Caprasium transisse ex hac vita die *Kalendarum Juniarum in Sacra Lerinensi insulâ circa annos humane redemptionis triginta supra quadringentos præsentibus Fausto, Theodoro, Maximo, & Hilario;* at Faustum tunc fuisse Abbatem ex verbis recitatis ex Honorato Massiliensi patet. Ita hic Scriptor discurret cap. 11. *Antiq. Brit. pag. 243.* Sed Caprasium vixisse ultra annum 430. mihi certum est; nam Hilarius unâ cum Maximo Episcopo Rejorum, & Theodoro Antistite Forojulienfi Caprasio morienti adfuit. At Maximus, ut proximè ostendam, anno 433. adeptus est Sedem Rejensem, Theodorus verò post annum 445. Forojuliensem Episcopatum obtinuit, nam Sanctus Leo Epist. 87. ad Episcopos per provinciam Viennensem eo anno Leontium Forojuliensem singulari privilegio in Synodis provincie cogendis exornat. Quare cum Hilarius mortuus sit die 5. Maii anno 449. ex literis Leonis ad Ravennium, & Sancto Honorato Massiliensi in Vita ejusdem, Caprasius verò obierit primâ Junii, hujus mortis tempus statui debet citrà annum 449. ut Hilarius morienti assistere potuerit. Rursus cum Sanctus Leontius ad superos transferretur die primâ Decembris, qui ineunte æstate anni 445. vivebat, eo enim tempore literæ memoratæ Leonis datæ sunt, ut postea dicemus, Caprasii mors absque dubio triennio, quod ab anno 445. ad 449. exclusis terminis numeratur, alliganda est, ut Theodorus Leontii successor sanctissimo Seni morienti cum alijs Episcopis, & Fausto Abbate adesse potuerit. Plenus igitur dierum propè centesimum annum, ut ex dictis cap. 3. colligitur, Caprasius migravit ad Dominum: Undè senem illum nominavit Sidonius in Eucharistico:

— *Quantos illa insula plana
Miserit ad cælos montes; quæ sancta Caprasii
Vita senis &c.*

Anonymum verò, qui ejusdem vitam apud Surium, & Barralium scribit; longè post illa tempora vixisse indè constat, quòd Epochæ à Christi nativitate usus nondum id temporis invaluerat; imò satis imperitum se fuisse prodit. Tradit, Caprasium unâ cum fratribus Honorato, & Venantio immensa terrarum, ac maris spatia vel ultra Nicomediam percurrisse, ac postea Cisalpinam Galliam petentes tres simul Lerinam ingressos. Sed ex Hilarii oratione patet illos in Peloponnesum tantum trajecisse, ac Venantio Methone defuncto, Caprasium, & Honoratum in Galliam reverfos in Lerinensem eremum se contulisse; Sanè nec constare sibi ille auctor tempus mortis Sancti Caprasii significat, dum scribit mortuum circa trigessimum annum quinti sæculi.

Ego quidem puto initium Episcopatus Maximi deprehendi ex Homiliâ, quæ sub titulo de Sancto Maximo inter Conciones Eusebii Gallicani recensetur Tomo 5. Biblioth. Patrum part. 1. Edit. Colonienfis 1618. in quâ de Sancto Maximo hæc recitantur: *Lerinensis sedem, imò latebram petit, ubi à mundi tanquam ab inimici periculis tutus multis laboribus desudatis, tanquam aliam in matrimonium sumpturus, & quasi amorum hebdomadâ transactâ (nam plenis septem annis ibidem Christi gregem parvit) Rachel acquisiturus profertur insula, preparatur Ecclesiæ.* Ex quibus colligitur Maximum septem annis Lerinensem Abbatem fuisse; cum verò successerit Honorato anno 426. ad Episcopatum Arelatensem evecto, ipse anno præfenti 433. fit Episcopus Rejorum, undè hoc ipso anno Faustus eligitur Lerinensium Abbas tertius. Franciscus Fulvius Frugonius in Libro Italicè scripto, & quidem satis eleganter de Vita Sancti Maximi Rejensis, quem Trimegistum inscribit, libro 2. pag. 203. tradit eundem viginti annos apud Lerinam moratum, antequam Honorato in præfecturâ insulæ sufficeretur; addit pag. 275. post sex lustra, duosque insuper annos à Monachatu suscepto ad Rejensem cathedram evectum; quare Frugonio auctore anno 406. Maximus Lerinam petiit, anno autem 444. Episcopus consecratus fuit, cum Abbas Lerinenses rexisset annos decem & octo: quæ sanè, ut pleraque alia, quæ ibidem sine teste scribit, admitti nullâ ratione possunt, septem enim annos tantum Abbas fuit ex Homiliâ memoratâ. Auctorem hujus Homiliæ, ex quâ veritas statutæ chronologiæ apertè deducitur, Baronius in notis ad Martyrol. ad diem 27. Novembris, ubi de Sancto Maximo agit, facit Eucherium Lugdunensem, alii eam tribuunt Cæsario Episcopo Arelatenfi; Sed horum sententia prorsus falsa est, nam Cæsarius natus est anno 470. ut dicemus. Baronius verò redarguitur, quòd auctor ille dicat se sub Maximi disciplinâ fuisse: *Hujus ergo tanti, & tam præclari, queso ut nos ei discipulos meminerimus, & filios.* At Eucherius non vixit sub Maximo apud Lerinam, nam in Leronis insulâ debebat, ut testatur Sanctus Hilarius in Oratione de Sancto Honorato, in quo erravit Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 8. quo loco etiam perperam negat, Cæsarium inter Lerinenses vixisse, ut hæc Homilia haud illi adscribenda videatur. Benè tamen ibidem Vossius notat, Homiliam illam recitatam esse Rejensibus ex his verbis: *Quia superius memoravimus, quàm magnificè insulano illo studio perfectionis vias cucurrit, plus est quòd HUC insulam ipsam insitutus, ac studiis suis transtulit.* Quare Eucherio, qui Lugdunensis Episcopus fuit, tribui illa nullo modò potest, inquit Vossius, sed Fausto danda est Rejorum Antistiti.

Et hoc sanè ex verbis ejusdem Faustii, ibidem patet: *Merito, ait, se vobis imputet beata illa insula ex hoc uno, atque unico munere, licet multum erubescat ex altero; scilicet Lerinam duos Reii dedisse Episcopos, Maximum, de quo jure gloriari possit, & Faustum ipsum, de quo erubescat, quæ verba, ut eruditè notat Sirmondus in notis ad Euchar. Sidonii num. 113. nisi unus Faustus modestiæ causâ usurpasset.* Faustus itaque Abbas renunciatus omnium virtutum Monasteriarum exhibuit, & non modò numerosum Monachorum gregem, sed nobiles etiam adolescentes sanctoribus disciplinis imbuebat; hos inter fuit C. Sollii Appollinaris frater, undè illi postea gratiæ actæ in laudato carmine Eucharistico. Augustiniana doctrinam de prædestinatione tum ad fidem, tum ad gloriam semper abhorruit, impugnavitque; etenim in Epistola ad Græcum Diaconum, quem illum ipsum nonnulli suspicantur fuisse, qui postea Massiliæ Episcopus cum Fausto Synodo Lugdunensi interfuit, apertè nescio quid in Augustino sibi, ac aliis displicere testatur: *In scriptis, inquit, sancti Pontificis Augustini etiam si quid putatur apud doctissimos viros esse suspectum, ex his, quæ damnanda judicasti, nihil noveris reprehensum.* In Faustii etiam gratiam Vincentius Lerinensis anno sequenti librum Commonitorii evulgavit, in quo sectatores Sancti Augustini apertè hæreticos per summam injuriam vocat.

Cæterum viginti, & amplius annos Faustus Lerinensis Monachos gubernavit, & ob jurisdictionem lites cum Theodoro Episcopo Forojulienfi suscepit, quæ postea in Synodo Arelatenfi III. præside Ravennio Metropolitâ decise sunt. Annus Synodi ignoratur, cum verò Ravennius ab anno 449. sederit, nec annum 462. attigerit, hoc enim tempore Leontius vivebat, intrâ illud tempus Concilium locandum est. Sirmondus, qui acta illa Synodalia tomo 1. Conciliorum Galliæ publici juris fecit, illum congressum anno 455. alligat; sed conjecturis tantum, non certo argumento id statui potest.

Anno 434. Jam verò de Vincentii Lerinensis Commonitorio sermo instituendus est, in quâ quidè re non modò Baronium, sed omnes ferè Scriptores adversarios habemus, quos tamen minùs illum librum diligenter legisse probabimus; nam non modò Semipelagianum se prodit, sed disertis verbis Augustini discipulos, ut mox dicebam, tanquam hæreticos traducit. Quò tamen omnis confusio è mediò tollatur, priùs de doctrinâ libri dicemus, dein de Auctore, nam de isto, quæ apud cæteros Scriptores certa sunt, incerta satis, ne falsâ dicam, demonstrabo. Prodiit hoc anno auctore Peregrino Monacho Commonitorium adversus profanas vocum novitates, nam is planè volumini titulus præfixus est. Scriptum illud hoc anno colligitur ex cap. 42. ubi laudat: *Concilium antè triennium sermè in Asia apud Ephesum à ducentis ferè numero Sacerdotibus adversus Nestorium celebratum.* Cum verò Synodus anno 431. peracta sit, anno 434. Commonitorium scriptum est. Hujus operis unus scopus est, novitatem quamlibet doctrinæ esse suspectam, antiqua tantum, & communi Auctorum sensu celebrata dogmata retinenda, ac defendenda. Porro hic Peregrini liber omnium laudes demeruit. Baronius in Annalibus ad hunc annum, & Possevinus in Apparatu, aureum volumen appellant: *parvum mole, virtute maximum* Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *validissimum* Gennadius: *nobilissimum* Saussajus ad 24. Maii in Martyrologio Gallicano: *longè optimum, ejusque* lectionem non tan-

tum utilem, sed & necessariam Joannes Costerius, qui etiam idem volumen commentariis illustravit; imò addit Baronius in Notis Martyrol. ad diem 24. Maii, Auctorem magnam sui nominis in Ecclesiâ Catholicâ laudem reliquisse. At Vossius magnus Scriptorum censor in extremam prorsus opinionem de memorato commonitorio descendit, hæc enim Lib. 1. Hist. Pelagianæ cap. 9. scribit: *Justa nihilominus rationes sunt, cur Commonitorii Scriptorem non solum ab Augustinianâ de prædestinatione sententiâ abhorruisse credamus, sed etiam Commonitorium adversus Augustinum ipsum, vel eos saltem, qui Augustini sententiâ sequerentur, scripsisse existimemus.* Ego quidè ad Vossii sententiam planè accessissem, nisi tot delatæ à sapientissimis Scriptoribus Commonitorio laudes religionem mihi penè injecissent. Attamen cum inter opuscula Prosperi legamus libellum ita inscriptum: *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum, & aliundè satis nobis probatum sit, Lerinenses à Sancti Augustini de prædestinatione ad fidem sententiâ recessisse, jure dubitandi occasio datur, fuerintne Vincentius Lerinensis auctor Commonitorii ille idem, quem Sanctus Prosper impugnavit?* Ego quidè liberè sententiam promam, & nisi nobismet oculos eruiamus, palam faciam, hunc Vincentium cum Hilario Arelatenfi, Fausto Abbate, aliisque Syncellitibus Lerinensibus contra Sancti Augustini de prædestinatione doctrinam conspirasse, idque ex ejusdem verbis evincam, quæ miramur non modò nuperos Scriptores, qui commentariis Commonitorium illustrarunt, non observasse, verum etiam nec ipsum Vossium, qui non omnes illius libri nævos notavit.

Capitale Massiliensium dogma fuit, communem omnino esse omnibus gratiam Dei, dari verò illam fuisset viribus quærentibus, pulsantibus, petentibus. Legantur duo illius factionis coryphæi Cassianus lib. 12. de Institut. cœnob. cap. 14. Faustus lib. 2. cap. 10. Hujus sanè hæc verba sunt: *Adjutorii itaque sermo duos indicat, operantem, & cooperantem, petentem, & promittentem, pulsantem, & aperientem, quærentem pariter, & retribuentem; Hoc solum nostrum est, ut qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quærendi, & pulsandi importunitate placeamus. Ubi erit sedulitas miserentis Dei, si cum personâ nihil mereatur indigni, & ad hoc desideria accedant otiosi?* De universis verò hoc ipsum eos sentire scripsit Prosper ad Augustinum, nempe: *Ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono natura bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Hanc verò sententiam rejecerat Sanctus Doctor cap. 23. de Dono pers. his verbis: *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt, quòd gratia præcedit merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus, nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Eundem Semipelagianorum errorem damnat Synodus Arausiana canone 6. Rursus iidem negabant, gratiam Dei esse donum speciale, & personale, volentes eam omnibus dari. Hinc Faustus lib. 1. cap. 15. ait *non specialem esse circâ credentes Dei munificentiam, & apud Maxentium in resp. ad Epistol. Hormisdæ ait: sed dicit, quia non omnibus detur, sed donum sit personale credulitas, & illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit, ut crederent: Non ita est.*

Audiamus jam Vincentium egregiè his concinentem, dum irridet asserentes gratiam specialem, & personalem, subinferens dari petentibus, pulsantibus, querentibus; etenim in eodem Commonitorio cap. 37. ait: *Jam verò illis, quæ sequuntur promissionibus miro modo incautos homines hæretici decipere consueverunt; Audent etenim polliceri, & docere, quòd in Ecclesiâ suâ, idest in communionis suæ conventiculo magna, & specialis, ac planè personalis quædam sit Dei Gratia adeo, ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ullâ industriâ, etiamsi nec petant, nec querant, nec pulsant, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensentur, ut Angelicis electi manibus, id est angelicâ protectione serpati nunquam possint offendere ad lepidem pedem suum.* Quibus ultimis verbis sententiam Sancti Augustini de prædestinatione, & de dono perseverantiæ reprehensionem subiicit. In quo sanè culpandus est, quòd Augustinianæ sententiæ sectatores hæreticos dixit, cum Semipelagiani doctiores Augustini sententiam errorem, non hæresim appellarint. Gennadius de Augustino loquens ait: *Error illius sermone multo, ut dixi, contractus lucta hostium exaggeratus, nec dum hæresis questionem dedit.* Et Faustus in præfatione ad Leontium: *In condemnando prædestinationis errore concilium summorum Antistitum congregatis.* Porro Vincentius hæreticos nuncupat asserentes: *Quandam Dei gratiam esse specialem, & personalem, quæ sine ullius laboris, studii, & industriæ merito detur nec petentibus, nec querentibus, nec pulsantibus.* An verò disertius suam sententiam potuerit exprimere, vel reapse expresserit Vincentius certè non video.

Semipelagiani Augustinianæ de prædestinatione sententiæ novitatem objiciebant, dicentibus, ipsorum opinionem veterum omnium Patrum unanimi consensu adprobata; ita de illis ad Augustinum scripsit Prosper, & Hilarius, quorum primus ait: *obstinationem suam vetustate defendunt, & ea quæ de Epistolâ Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita præferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut NUNC sentiuntur, affirmant.* quibus Sanctus Doctor respondet lib. de Prædest. Sanctor. cap. 14. *Si ergo hujus sententiæ defensionem ex divinatorum eloquiorum nos præcedentibus Catholicis Tractatoribus promerem, profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent, hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est, ut eorum seruetur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad solvendum questione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogentur? Undè factum est, ut de gratiâ Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent &c.* Idem habet de Dono pers. cap. 19. & 20. in fine verò hujus ait: *Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias questiones, contra quas diligentiùs defenderetur scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem cogit, loca scripturarum, quibus prædestinatio commendata est copiosius, & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quòd Pelagiani dicunt: Gratiam Dei secundum merita nostra dari? Ex quibus patet, Sanctum Augustinum hanc novitatis suspensionem passum ingenue fateri, se copiosius, & enucleatius, quàm cæteri Patres antè ipsum, Apostoli testimonia, quæ gratuita prædestinatio adstruitur, explicuisse, ut novè non nova tamen diceret. At Vincentius toto eo libro hoc unum urget, nihil noviter dicendum non modò contra omnes, sed nec præter omnes, undè sunt illius verba cap. 39. *Quic-**

quid verò quamvis ille sanctus, & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor, & Martyr PRÆTER omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & privatas OPINIUNCULAS à communis, & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit, nec cum summo aeternæ salutis periculo juxta sacrilegam hæreticorum, & schismaticorum consuetudinem universalis dogmatis antiquâ veritate dimissa unius Hominis novitatem sectemur errorem. Hæc contra Augustinum dicta fuisse quibusdam fortè videbuntur, quibus tamen nec consentio, nec repugno.

Verùm quantâ arte idem Vincentius Cælestini literas adversus Semipelagianos in favorem Prosperi, & Hilarii datas, contra eundem Prosperum, sociolque vanâ quidè, sed argutâ interpretatione detorqueat, videamus. Igitur circâ finem libri, quòd vetustatem novitati semper præferendam ostendat, post Sixti viventi decretum decessoris Cælestini sententiam hanc profert: *Sed & Sanctus Papa Cælestinus, pari modo, eademque sententiâ; ait enim in Epistolâ, quam Gallorum Sacerdotibus misit, arguens eorum conventiam, quòd antiquam fidem silentio desitientes profanas novitates exurgere paterentur: Merito, inquit, causa nos respicit, si silentio foreamus errorem; ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.* Hæc est illa celebris Cælestini Epistola, quâ Sanctum Augustinum miris præconiis effert, uti pluribus dictum est ad annum 432. Hæc cum legiset Baronius in notis ad diem 24. Maii scripsit pro Vincentio: *Hic non tantum non impugnavit defensores Sancti Augustini, sed magnopere laudavit; nam in libro, quem scripsit adversus hæreses, cap. 43. vehementer commendavit Cælestini Romani Pontificis Epistolam in defensionem scriptorum Sancti Augustini datam ad Episcopos Galliarum adversus eos, qui tanti Patris doctrinam ausu fuerant impugnare.* Verùm eruditus hic Scriptor, qui Faustum Abbatem vulpeculam dixit in Annalibus ad annum 490. Vincenti sub eodem Monachi, ut voluit, artem non detexit, & ut verum fatear, & ipse quoque initio Vincentium ex hac ab eodem laudatâ Epistolâ Semipelagianismi suspitione absolvebam; itane eas literas commendaret, quæ Cælestinus Semipelagianorum in Augustino impugnando insolentiam perstringebat? Sed dum sequentia attentius legi, Vincenti artem novi. *Hic aliquis fortasse, inquit, addubitet, quomodo sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an novitatis inventores? Ipse dicat, & dubitationem legendum ipse dissolvat.* Etenim Prosper, & Hilarius in favorem Augustinianæ sententiæ Cælestini literas producebant, quas Romam profecti ipsimet impetrarant. Semipelagiani verò negabant, literas illas Augustinum laudantes in favorem librorum posteriorum, in quibus ille nova docebat, scriptas fuisse, sed in commendationem priorum voluminum, in quibus cum cæteris Patribus veterem sententiam tenebat. Prosper in fine libri contra Collat. ait, illos dixisse: *istam in Sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam: hosce autem anteriores libros, utpotè vetustati consentientes, adversariis acceptos fuisse scribit Hilarius ad Augustinum: Hoc enim, ait, & illis locis tuorum opusculorum, & aliorum, quæ persequi longum est, se demonstrare restantur.* Itaque Vincentius urget, quoniam sint illi, quos Cælestinus jubet, ne liberè loquantur, ex ipso Cælestino cognoscendum: *Sequitur enim: Desinat si ita res est, idest, si ita est, ut apud me* QUIDAM URBES, ET PROVINCIAS VESTRAS CRIMINANTUR, quâ

quod eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ simulatione faciatis: Desinat itaque, inquit, si ita est, incessere novitas vetustatem. Videas, quomodo Prosperum, & Hilarium despicit! inducit enim Cœlestinum dicentem de illis, ut apud me QUIDAM criminantur, cum tamen Cœlestinus non vago quodam nomine, sed proprio illos cum laude appellet: *Filii nostri presentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum sollicitudo laudanda est*; at hos, quos Pontifex laudat, Vincentius vocat CRIMINATORES. Rursus Prosper, & Hilarius Cassianum, Faustum, & ipsum etiam Vincentium (quos omnes fuisse Presbyteros ex nostrâ Historiâ patet, in quâ ex testimoniis veterum id sæpè insertum est) paucosque insuper alios apud Cœlestinum accusarunt, quod Sancti Augustini doctrinam injuriis lacesserent. Audiatur Cœlestinus: *Filii nostri presentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum NESCIO QUIBUS PRESBYTERIS illic licere, qui disensionem Ecclesiarum student, sunt apud nos persecuti, ut indisciplinatas quaestiones vocantes in medium, perimaciter eos dicant prædicare adversantia veritati*. At Vincentius, quod contra Prosperum integræ non modò Urbes, sed & Galliarum provinciæ stare credantur, fingit illum criminatum fuisse URBES, ET PROVINCIAS. Itane Vincenti nescio quos Presbyteros URBES, ET PROVINCIAS vocas? Prosper, & Hilarius non Episcopos accusarant, quod Gallicanas provincias quibusdam novitatibus consentire noxiâ simulatione facerent, uti perperam scribit Vincentius, quod duos illos Lerinensium, ac Massiliensium delatores in Episcoporum invidiam trahat, sed nescio quos Presbyteros tantum detulerant; at ipsius Cœlestini sententia fuit, Episcopis eos tumultus imputandos: *Sed vestrae, inquit, dilectioni justis imputamus, quando ILLI supra vos habent copiam disputandi. Legimus, supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam &c.* Jam verò Sanctum Augustinum, qui ad superos abjerat, antiquis magistris adnumerabat, undè novos Doctores Faustum, Cassianum, Vincentium illum arguentes reprehendit illis verbis, *desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem*; & cap. 2. post laudatum Augustinum addit: *Undè resistendum talibus, quos malè crescere videmus.*

Rursus Vincentium collusionis cum Fausto suo Abbate alio argumento reum ostendo, quod postea à Vossio etiam vidi adnotatum. Cur enim Vincentius intrâ unum, & alterum versum reponit: *Si ita res est*; Repeto illius verba: *Desinat, inquit, si ita res est, id est si ita est, ut apud me quidam Urbes, & provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ dissimulatione faciatis; Desinat, itaque, inquit, si ita res est, incessere novitas vetustatem*. Urgendo toties illud, *si ita est*, falsam se denotare significat Prosperi, & Hilarii delationem, seu Pontificem literas illas transmisisse innixas tantum delationi illorum, de cuius veritate haud diligentius quærere insuper volens, illa verba inferuit, *si ita res est*; quæ fortè toties Prospero veluti in faciem illidit, ut accusatorem in Cœlestini decreto perperam gloriatum ostendat. Tandem Vincentius suimer veluti armis Prospero rejecto exclamat: *Ergo hæc fuit Beati Cœlestini sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem*: hoc est, non ut nos, qui veterem sententiam aliorum Patrum sequimur, cessaremus obruere novitatem Augustinianæ opinionis; sed potius novitas desineret incessere vetustatem, nempe potius no-

va Augustini, & sectatorum Prosperi, & Hilarii doctrina desineret incessere vetustatem sententiæ Cassiani, Fausti, & nescio quorum Presbyterorum. Quis ad ista non hæreat? Nam eo ipso loco, ubi Baronius, Suarius, Vasquez, & ferè omnes putarunt, defendi ab illo Augustinianæ doctrinæ sectatores, hos ipsos criminatores Urbium, ac Provinciarum vocat, Cœlestini Pontificis verba argutâ arte prævertit, atque contra illos ejusdem sententiam detorquet, in quorum favorem lata fuit. Hæc de Commonitorio Vincentii nostra sententia est, quam Augustinianæ doctrinæ cultus, ac veritatis amor invito proisus extorsit, non quod idem volumen ex loco honoris, quod nobiles scriptores illud evexere, dejectum velim. Vincentio idem, quod Chymicæ artis professoribus contigit, quorum labor cum ad aurum conficiendum collimaret, licet in tento sine fraudati sint, utilia tamen medicamina reperere auro ipso longè pretiosiora; ita ille, cum Augustini fortasse doctrinam de prædestinatione veluti per cuniculos eo opusculo subruere tentaret, cæteras hæreses à fundamentis evertit, at Augustini doctrinam, quæ Catholica semper fuit, nec loco quidè movit.

Hic idem Vincentius contra Prosperum, aliosque absurdissima quædam asserta publicavit, quasi ab Augustinianis illa eadem defenderentur. At hæc calumnias idem Aquitanus solidè rejecit edito libello, cui titulus: *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum*. In Præfatione hæc contra Vincentium scribit: *Quidam Christianæ, ac fraternæ charitatis oblii in tantum existimationem nostram quoquo modo student ledere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant; contexunt enim, & quilibet possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda, & ingerenda multis publicè, privatimque circumferunt*. Addit etiam ibidem, se fidem contra Pelagianos ex Apostolica Sedis auctoritate defendere; undè à Cœlestino Romæ eidem junctum videtur, ut in Galliis contra novos Massiliensium conatus excubaret, quod eidem summa gloriæ vertitur, quippè qui Laicus probatæ adeo fidei, atque doctrinæ esset, ut tanti negotii onus illius humeris ab Apostolicâ Sede imponeretur. Baronius ad diem 24. Maii in Martyrologio Vincentium alterum Gallicanum Presbyterum Auctorem objectionum, quas laudatus Prosper refutavit, affirmat testatus, eodem seculo alterum Vincentium claruisse in Galliâ, de quo idem Gennadius scribit eodem lib. cap. 80. *cui potius opus illud tribuendum putarem*. Sed non video, quo jure in Vincentium Presbyterum id devolvi possit, de quo nulla suspicio, nec umbra Semipelagianismi nobis constat; nam illius interpretationes in psalmos interiере, cum de Vincentio vulgò Lerinensi tanta non dicam præsumptio sit, sed evidentia, ut fuisi probatum est. Præterea Vincentius de quo cap. 80. scribit Gennadius, junior est, convixit enim eidem Gennadio, quem se etiam audivisse testatur; floruit verò Gennadius sexaginta, & amplius annis post Gallicanos illos de gratiâ tumultus vivente Prospero circa annum 426. excitatos. Tradit ibi Gennadius, se præsentem Vincentium legisse expositiones memoratas *sancto homini Dei Carnato*, at hic successit Græco Episcopo Massiliensi anno circiter 480. ex tabulis Sammarthani, ut planè objectiones à Prospero rejectæ illi Vincentio minime attribui posse videantur.

Hæc quidè dicta sint de doctrinâ Commonitorii, cujus Vincentium fuisse auctorem ex Gennadio habemus

mus lib. de Script. Illustr. cap. 64. modò an Lerinensis Monachus fuerit, & qualis videndum est. Etenim Auctore se initio *Peregrinum* vocavit, primus autem ejusdem nomen Gennadius publicavit. Saussajus in Martyrologio Gallicano ad diem 24. Maii, quem communiter alii sequuntur, & antè docuerat Barralius in chronologiâ Lerinensium, tradit Vincentium Lerinensem Monachum, cujus memoria IX. Kal. Junias in Martyrologio celebratur, fuisse fratrem germanum Sancti Lupi Trecentis Episcopi, ut ex Epistolâ Eucherii de laude eremi ad Hilarium colligitur, ubi recitans egregios Monachos Lerinæ inter alios Vincentium nominat; Eucherii verba sunt de Lerinâ loquentis: *Hæc nunc successorem ejus tenet Maximum nomine clarum, quia post ipsum meruit asceri. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui illum nobis ex tribu Benjamin lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentium interno gemmarum splendore perspicuum. Hæc nunc possidet venerabilem dignitate Caprasium veteribus Sanctis parem. Hæc nunc habet Sanctos senes illos, qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt.* Cùm Eucherius illam Epistolam dictavit, duo illi fratres Lupus, & Vincentius non ampliùs in secessu Lerinensi debebant, nam Maximum, Caprasium, aliosque Lerina habebat, dum illa Eucherius scribebat, eandem verò ait, habuisse Lupum, & Vincentium. Illa Epistola data est anno 426. vel initio anni 427. cùm Hilarius ab Honorati latere, quem initio Episcopatus Arelatem comitatus fuerat, discedens iterum Lerinæ se se restituit, ut ibidem Eucherius ipse fatetur: *Horum tu, mi carissime Hilari, redditus, insertusque consortio, plurimum tibi, plurimum etiam illis contulisti, qui nunc pro reditu tuo alacri exultatione latantur.* Hilarium verò circa initia Episcopatus Honorati se Lerinæ iterum reddidisse testatur Sanctus Honoratus Massiliensis cap. 2. de Vitâ Hilarii apud Surium 5. Maii, & ipse Hilarius in Oratione de Sancto Honorato c. 28. ait: *Ab insulâ, cui me derelictis Episcopatus ejus principiis secreti amore reddideram, non audeo dicere nesciens, fortasse præsciens amovere satagebat.* Quare manifestum est, anno 426. quo exeunte Honoratus sedebat novus Arelatensis Episcopus, Lupus, & Vincentium Eucherio Monacho teste Lerinam non incoluisse. Ex alterâ verò parte Auctor commonitorii se Monachum fatetur, cùm scriberet illud volumen anno 434. ut ex ipsius verbis initio statim apparet. *Locus autem, quod urbium frequentiam, turbasque vitantes remotioris villulæ, & in eâ secretum monasterii incolamus habitaculum &c.* quibus verbis Scriptor Monachum quidem se profitetur, at non Lerinensem; tradit enim se *remotioris villulæ, & in eâ secretum Monasterii incolere habitaculum.* At in Lerinâ nulla villa erat, sed tantùm Monachorum cellulæ totâ insulâ dispersæ. Antequam enim Sanctus Honoratus, sub cuius disciplinâ Lupus, ejusque frater Vincentius vixere, Lerinam appelleret, hæc à nullo habitabatur; undè Hilarius in Oratione de Sancto Honorato cap. 12. Lerinam dixit *vacantem insulam ob nimietatem squallores, & inaccessam venatorum animalium metu.* Quare nec antè Honorati adventum, nec postea ulla ibidem villula extructa fuit, sed tota ubique insula extructis cellulis unum veluti monasterium evasit.

Ex his colligimus, Vincentium auctorem Commonitorii cùm hoc opus literis mandabat, nondum fuisse Monachum Lerinensem. Credo, eundem in Massiliensi quodam monasterio degisse; nam Euche-

rius Episcopus Lugdunensis in præfatione ad librum quæst. novi, & veteris testamenti his Salonium alloquitur: *Cùm te illic, nempè apud Lerinam, beatissimi Hilarii tunc insulani tyronis, sed jam nunc summi Pontificis doctrina firmaret per omnes Spiritualium verum disciplinas, ad hoc etiam te postea consumantibus sanctis viris Salviano, atque Vincentio eloquentiâ pariter sapientiâque præ eminentibus &c.* At Salvianus Massiliæ Presbyter morabatur, à quo, & à Vincentio inibi Monacho Salonius è Lerinensi secessu in continentem profectus sanctiores disciplinas didicit. Video posse quempiam dicere, Vincentium Lupi Trecentis fratrem è Lerinensi cœnobio egressum diù in Massiliensi monasterio habitasse, ac postea veteres Lerinæ cellulas repetiisse. Utut sit de hoc, illud certò constare videtur, Vincentium Commonitorii Scriptorem apud Lerinenses diem obiisse. Illum enim Lerinensem vocat Gennadius omnium vetustarum schedarum indagator diligentissimus, qui in proximâ Massiliensi urbe vixit, & P. Macedo vir satis, superque suo nomine illustris mihi testatus est, se Lerinensis Monasterii in Galliis antiquissimi famâ permotum illuc divertisse, ac Vincentii Monachi reliquias nobili loco repositas supplicem veneratum; illius etiam nomen sacris Romanæ Ecclesiæ factis adscriptum legitur IX. Kal. Junii. Nulla tamen per nos Vincentii sive eruditioni, sive sanctitati injuria importatur, dum illum cum iis Massiliensibus censuimus, qui Semipelagianî vulgò audiunt; neque enim isti erant id temporis hæretici, sed viri doctissimi, ac sanctissimi, quos Sanctus Augustinus fratres, ac dilectores sui, Prosper verò, licet aliàs eorum hostis, sanctos, honoribus, & meritis claros, & egregios in omnium virtutum studio viros honoris causâ appellabant, uti cap. 5. notavimus. Quis autem nesciat, Hilarium Arelatensem, Joannem Cassianum, ac Faustum Rejensem adhuc in vivis magnâ in æstimatione in Galliis fuisse, mortuos verò Arelate, Massiliæ, & apud Rejos uti Sanctos coli, cùm tamen iidem fuerint Semipelagianæ scholæ Magistri? Tunc ab Augustino in controversiâ de prædestinatione ad fidem recedebant, quando fas eret eâ de re in utramque partem disputare; anno enim demum centesimo ab Augustini obitu Sancti Doctoris sententia in Araucanâ Synodo inter fidei canones relata est. Laudati verò Patres Pelagianos quidem acerrimè insectabantur; Joannes Cassianus lib. 1. de Incarnat. cap. 3. Pelagium refellit, idem præstat Faustus lib. 1. de Gratiâ, & lib. arbitrio cap. 1. Gennadius tres contra eundem Hæresarcham libros scripsit; Hilarius in plenariâ Galliæ Synodo Legatos in Britanniam contra Pelagii sectatores destinavit; Vincentius etiam in Commonitorio cap. 14. ait: *Contra reclamant rana quadam, & musca mortura.* Et cap. 34. *Quis enim unquam, ait, antè profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis antè prodigiosum discipulum ejus Cælestium reatu prævaricationis Adæ omne humanum genus denegavit adstrictum? Hi quidem omnes, licet Pelagium execrabantur, quod etiam testatur Prosper contra Ingratos, Sancti Doctoris tamen sententiam de prædestinatione ad primam gratiam admittere recusabant, quædam enim humana merita eidem præmittabant, ne inertibus, & ociosis Dei munera tribui viderentur. Gabriel Vasquez magnus Theologus, ac in Semipelagianâ historiâ summâ cum laude versatus scripsit, *omnes**

nes ferè Episcopos Galliarum ad Semipelagianos accessisse, ut cap. 5. notavimus. Quare cum in omnium penè sententiâ illa Augustini doctrina de efficaci electione ad primam gratiam *contraria putaretur Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui* teste Prospero in Epistola ad eundem Sanctum Doctorem, & præter paucos reliqui uno consensu contrâ eundem conspirarent, quid mirum, si Vincentius, qui toto eo eruditissimo, ac elegantissimo volumine unum hoc urget, nempe communem sententiam *privatis opinunculis*, ut ejusdem verbis utar, præponendam esse, eâ in controversiâ communi inter Galliæ Doctores sententiæ sibi inhærendum esse putaverit relicta Augustini Africani opinione, quæ nova putabatur, & *contraria Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui*? Hæc fufius profecutus sum, quò nonnullorum querelis facerem satis, qui grandi piaculo astringi putant eum, qui Vincentium Lerinensem eximie eruditionis, ac sanctitatis Patrem in Massiliensium album refert, quasi Semipelagiani id temporis hæretici fuerint, non verò viri suprâ cæteros in Galliis doctissimi, ac sanctissimi.

CAPUT XII.

De legatione Episcoporum Gallia ad Britannos, ac Synodo Rejensi Baronii sententiæ expensæ. Julianus à Sixto PP. repulsus. Annus Mortis Cyrilli statuitur. Pelagiani à Leone Magno apud Venetos repressi, & à Germano ex Britannia expulsæ. Mors Germani, ac Adonis de eodem historia confutata. De anno obitus Cassiani, aliaque de eodem Guesnay dicta rejecta.

^{Anno} ^{435.} **H**Uc usque continuatâ annorum serie Pelagianam historiam produximus; imposterum quæ interpolatis quibusdam annis in veterum monumentis eâ de re recitantur, describemus; subindè enim veluti è Vesuvio flammæ novi Pelagianorum, vel Semi-Pelagianorum conatus erupere. Baronius ad annum 435. Num. 16. alteram Sancti Germani Antiodorensis in Britanniam navigationem ad Pelagianos exturbandos refert, quo etiam anno ejusdem mortem recitat. Eruditissimus Cardinalis immo annalium descriptione, ac rerum gestarum multitudine penè obrutus, dum illas describendas aggressus est, temporis angustiis pressus minus exactam chronologiæ rationem habuit, quam diligentiorum curam cum longè inferiori gloriæ portione posteris dereliquit. Quæ ille de Germani novo in Britanniam itinere, ac de Pelagianis Episcopis in Synodo Rejorum damnatis scribit, paucis examinabimus.

Altero tantum antè obitum anno Germanum in Britanniam trajecisse ex Constantio omnes consentiunt, diu verò eundem post annum 435. vixisse Ulfertius, annales Trecentis, ac Sigebertus cum Sigonio, aliisque tradunt. Cum anno 444. Hilarius Arelatensis Synodum pro deponendo Celidonio Episcopo celebraturus esset, diu Germanum moras necentem expectavit; hoc testatum facit Sanctus Honoratus Massiliensis in Vita Hilarii apud Surium 5. Maii cap. 10. ubi ait: *Ubi ejus nempè Germani adventus innotuit flammata ad utrosque nobilium, & mediocrium studia convolarunt, adfuerunt Celidonium inermis am suo adhibuisse consortio, quod Apostolica Sedis auctoritas, & canonum prohibent statuta.* Quare

Celidonus deponitur, qui statim Leonem Magnum appellans Romam se contulit. Quod ubi Hilario innotuit *non hyemis asperitatem, non alpium stridores attendens* Romam & ipse contendit. At Leo coactâ Synodo Hilario acriter increpito Celidonio sedem restituit. Hilarius verò, inquit Honoratus, *adhuc hyemis rigore sciviente, quos ratione non flexerat, credidit dereliquendos.* Leo eâ de re ad Episcopos Galliæ contrâ Hilarium literas dedit, quæ numero 81. inter Leonis Epistolas habentur; quo verò anno datæ sint, deducitur ex literis Valentiniani Imperatoris eadem in causâ rogante Leone transmissis ad Actium, qui Galliarum exercitus regebat; datæ illæ sunt VIII. Idus Junii Valentiniano Aug. VI. Cal. nempè anno 445. Hinc Synodus Gallicana, cui Germanus adfuit, celebrata est anno superiori 444. exeunte Autumno, ut initio Decembris Hilarius Romanum iter aggressus fuerit, & anno proximo causâ cadens adhuc hyeme sciviente Arelatē redierit. Quare novennio ultra annum 435. Germanum superstitem habemus.

Idem Scriptor Annalium anno 439. Num. 44. recitat ab Hilario Arelatensi Synodum apud Rejos in ^{Anno} 439.

Galliâ coactam, in quâ satis optimè de Pelagianis Episcopis consultum fuisse his verbis narrat: *Accidit enim, ut cum bis temporibus nonnulli Episcopi, qui sectati essent Pelagium, ad Ecclesiam se redire penitentes simularent, iis omnem recipiendæ sedem spem ademerint iidem Patres, qui ipsi concilio Regiensi interfuerunt.* Rursus: *Præter ea autem, quæ de ordinatione perpetram factâ Episcopi Ebredunensis in hac tractata sunt Synodo, de illis etiam actum Episcopis, qui ex hæresi, vel Schismate ad Ecclesiam redirent, qui quo loco essent habendi Patres maturâ consultatione desinverunt, egerunt & de exequiis defunctorum Episcoporum.* Verum undè contrâ Pelagianos Episcopos aliquid ab Synodo Rejensi statutum fuisse collegerit, prorsus non video; etenim nulla in eo Patrum congressu Pelagianorum mentio fit. In errorem fortè Baronium duxit collector Conciliorum, quòd ille in indice capitum sic tertium prænotavit: *De Hæreticis, & Schismaticis Episcopis, si ad Catholicam fidem venerint, quid observari debeat.* Sed planè ineptè; Nam in eo tertio capite de uno Armentario Episcopo Ebrebunensi sermo fit, & eo quidem puni to non ob Pelagianismum, sed quòd idem contrâ canonum decreta à duobus tantum Episcopis consecratus fuerat. Statuitur autem, eundem posse in aliquâ parochiâ cum facultate Episcopi titulo Chorepiscopi habitare, præterquam in provinciâ maritimâ alpinâ, à quâ ille removebatur, neque Presbyterum posse ab ipso consecrari, itemque alia nonnulla nempè de loco &c. De Pelagianis vero Episcopis nec verbum quidè.

Julianus Pelagianus hoc anno 439. ad Episcopatum Eclanensem, ex quo olim dejectus fuerat, irrepere tentavit, sed Leo Archidiaconus callidissimi hæretici conatus elusif, egitque cum Sixto Pontifice, ut à simulatâ Pelagiani hominis penitentiâ sibi, atque Ecclesiæ caveret. Narrat hæc Prosper in Chronico his verbis ad consulatum Theodosii XVII. & Festi: *Hac tempestate Julianus Eclanensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendæ correctionis speciem præferens molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere; sed his insidiis Xystus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis bestie gaudere fecit,*

fecit quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius decurcasset. Noverat olim idem Sixtus Pelagianos dolos, uti explicuimus ad annum 418. Hic anno sequenti V. Kal. Aprilis diem obiit, inter Divos relatus, etenim ipsâ die celebris in Martyrologiis ejusdem memoria recolitur. Cùm adhuc Presbyter esset, Pelagiani magni illi momenti patronum jactabant, cùm sub Zosimo penè omnibus Romæ imposuerant; sed per Africanos Patres hæreticorum dolis detectis, Sixtus omnium primus coram univèrso Populo Romano post Pontificem in Pelagianos anathema pronunciavit, & quòd apud Afros conceptam fortè de se suspicionem tolleret, prolixiores ad Augustinum, & Alipium literas dedit, in quibus divinam gratiam solidè propugnabat, quas cùm legeret Sanctus Doctor ingenti lætitiâ se affectum scribit Epist. 104. ad Sixtum. *Quantâ, inquit, nos putas ista tua prolixiora scripta vel exultatione legisse, vel curasse, ut legantur, quibus valuimus, aliis obtulisse, atque adhuc quibus valemus, offerre: Quid enim gratius legi, vel audiri potest, quam gratiæ Dei tam pulchra defensio adversus inimicos ejus ex ore ejus, qui eorumdem inimicorum magni momenti Patronus antè jactabatur.* Ad hunc postea Sanctus Augustinus scripsit Epist. 105. in quam veluti in valentiorum succum totam de divinâ gratiâ doctrinam congestit. Extant etiam hujus Sixti III. pro peccato originali adversus Pelagianos carmina quædam, quæ lapidi in Basilicâ Constantinianâ incidenda jussit, & in Ecclesiasticis annalibus recitantur. Circumferuntur etiam nonnulla opuscula sub nomine Sixti, nempe liber de divitiis, alter de castitate, itemque Epistola de malis Doctoribus, sed hæc volumina Pelagianorum cœno fœdata haud Sancto Pontifici adjudicanda esse tradidere olim Cardinales Baronijs, & Belarminus, quibus omnes consentiunt. Scribit Photius Cod. LIV. *Lectus est liber contra Pelagianam, & Celestianam hæresim, cujus hæc inscriptio: Exemplar actorum ab Occidentis Episcopis adversus Nestorianam dogmata. Hic refert eandem esse Nestorianam, & Celestianam hæresim, testemque laudat Cyrillum Alexandrinum Episcopum ad Theodosium Imperatorem Nestorianam, & Celestianam hæreses conspirare scribentem.* Hanc Synodum mortuo Cœlestino à Sixto successore initio statim in Pontificatûs celebratam existimo. Nec enim eam Synodum posteriori temporis deputanda esse videtur, cùm nullos amplius tumultus Pelagiani, ac Nestoriani cierent. Sixtus anno insequenti die natalitio Synodum de more Romæ coegit, ut patet ex ejusdem literis ad Cyrillum, & Joannem Antiochenum scriptis XV. Kal. Octobris Theodosio XIV. & Maximo Conss. in quâ Synodo de Nestorianis, ac Pelagianis actum fuit.

Successit Leo à rerum gestarum gloriâ Magnis nuncupatus, unus sanè Ecclesiasticæ navi ingruentibus undique periculosissimis tempestatibus regendæ par. Etenim ipso regnante non modò Attilâ Duce ferocissimæ nationes in Italiam irruentes nobilissimæ provinciæ miserissimam cladem intulerunt, verum etiam Manichæi, & Pelagiani veteri illam peste afflare percontarunt; utrique tamen malo Leo occurrit animo periculis omnibus superiore. Hæreticos dudum infectatus fuerat; illius enim adhortatione Cassianus septem adversus Nestorianos libros vulgavit, in quibus etiam Pelagianos proscidit, & ut dictum est, Juliano in Catholicam communionem repentem aditum præcluserat, ubi verò Apostolicam Sedem tenuit, in eisdem etiam veluti de superiori loco ful-

mina ejaculatus est. Testatur hoc Prosper lib. de Prom. Dei dimid. temp. cap. 6. *In Italiâ nobis apud Campaniam constitutis, dum Venerabilis, & Apostolico honore nominandus Leo Manichæos subverteret, & contereret Pelagianos, & maxime Julianum.* Hæc verò contra Pelagianos peracta esse à Leone anno 443. colligo ex Chronico Prosperi, qui Maximo, & Paterno Conss. scribit: *Leo Papa contra Manichæos Romæ latitantes insurgit, codices eorum igni absumit.* Baronijs, anno 444. num. 8. quem secuti sunt Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 32. Usserius, & cæteri, arbitraturs Leonem in Campaniam adversus Juliani insidias Prosperum destinasse, idque ex relatis verbis ex libro de Promissionibus Dei par. 3. colligere se dicunt. Verum ille auctor non à se, sed à Leone Manichæos, ac Pelagianos contritos scribit, & licet ille liber inter Opuscula Sancti Prosperi Aquitani legatur, haud illi tamen adscribendum puto, sed Prospero alteri Africano, ut suo inferius loco probabo, ubi de libris Prosperi judicium promam. Photius Cod. LIV. scribit, Prosperum post repressos à Septimio Episcopo, & Leone Pelagianos Romæ plures liberius pro hæresi loquentes confutasse: verba ejus sunt: *Romæ etiam quidam pro hæresi Pelagianâ liberè locuti sunt, quos Prosper homo sanè divinus libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit, extinxitque, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante.* Cæterum nulli sunt libri Prosperi contra Pelagianos, cùm Photius eos libellos vocet, intellexisse puto eos, quos in Galliâ contra Semipelagianos evulgavit, quos tamen antè Leonis Pontificatum scriptos esse mihi penè compertum est. Contra ingratos verò lepidum illud carmen Romæ eundem scripsisse unus Usserius sine teste affirmat pag. 380. Scribit etiam idem Photius Leonem ferventi zelo contra nascentem Pelagianorum hæresim depugnasse addens: *Scripsit, & Leo Romanus de Pelagianis conversis oportere, si jam redeuntes recipi velint, scriptis opinionem suam detestari.* Baronijs ad annum 444. Num. 8. ait, hæc scripta Leonis desiderari, sed planè illa extant inter Epistolas Leonis, quod paulò postea ostendetur.

Anno 444. Cyrillus exactis in Sede Alexandrinâ duobus, & triginta annis decessit, illique Dioscorus subrogatus fuit. Pater Lupus in notis ad Synodum Calchedonensem cap. 4. meisque Panvinius in Chronico Ecclesiastico scribunt, Cyrillum anno 447. obiisse. Bollandus vir nunquam satis laudatus tomo 2. ad diem 28. Januarii in notis ad Vitam Cyrilli §. 1. num. 6. ait: *fortassis hoc 28. Januarii anni 445. decessit.* Mortuo Theophilo anno 412. die 15. Octobris, uti lib. 1. cap. 4. narravimus, tertiâ ab ejusdem obitu die Cyrillus in avunculi locum successus fuit, ac teste Athanasio ex Cyrilli sorore Isidorâ nepote sedit magna Alexandria civitatis triginta, & duobus annis Archiepiscopus: in libello supplici act. 3. Synodi Calchedonensis. Quare nostrorum Scriptorum chronologia de morte Cyrilli falsa est, alias fediisset annos 37. Sed ex eodem libello altera Bollandi opinio refellitur; etenim Athanasius conquestus de injurijs sibi à Dioscoro post Cyrilli avunculi mortem irrogatis ait: *Omnia hæc adversum me à reverendissimo, & Dei amantissimo Dioscoro perpetrata in totis octo hodie annis eo circumveniente me, & insidias faciente &c.* Porro hic libellus recitatus est die tertiâ Idus Octobris Marciano Augusto Consule anno 451. quo die habita fuit actio tertia Synodalis Calchedone; at juxtâ Bollandi sententiam tunc an-

Anno
440.

Anno
443.

Anno
444.

nus septimus fuisset à morte Cyrilli. Quare hic decessit anno 444. undè anno 451. Athanasio labebatur annus octavus ab obitu avunculi. Fuit Cyrillus vir doctrinâ, ac sanctitate illustris, hæreticos nullo loco passus consistere gravissimis eisdem libris oppressit. Idem verò ob Pelagianos in Ephesinâ Synodo, cujus Præsès, imò magna pars fuit, damnatos, ob Theodorum Mopsuestenum, ac Nestorium eorundem hæreticorum patronos confutatos plurimum nobis commendandus venit; uti enim Augustinus in Occidente, ita Cyrillus in Oriente Orthodoxam religionem sartam, testam servavit Pelagianis, ac Nestorianis toto Catholico Orbe proscriptis.

Memoriæ mandatum est, Cælestinum Papam phrygium ad Cyrillum misisse, quò majori cum auctoritate in Ephesinâ Synodo Apostolicæ Sedis Legatum ageret. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus in Nomocanone tit. 8. cap. 1. ait: *Hujus quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præsentis editio- nis habet, ut cum phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem Sanctus Cyrillus à Romano Papa Cælestino, quando fuit Ephesina Synodus adversus Nestorium.* Baronius ad annum 430. num. 26. scribit, Cyrillum accepisse à Pontifice phrygium, nempe ipsum pallium. At phrygium mitram fuisse non pallium rectè ostendit Henricus Spondanus ad eundem annum in epitome Annalium Cæsaris Baronii. In diplomate donationis Constantini dicitur Imperator donasse inter cætera Pontifici phrygium, idest, mitram, necnon & superhumeralia, videlicet lorum. Idem tradit Sugerius Abbas in Vitâ Ludovici Grossi, alique. Et quidè Patriarchæ Alexandrini antè Cyrillum ab initio usque Christianæ religionis in Ægypto fundatæ pallio utebantur, quod à Divo Marco relictum è demortui Patriarchæ collo à succellore fumebatur, ut tradit Liberatus in Breviario cap. 20. Mitram phrygium indè appellatam putant Gretserus in notis ad lib. 1. Codini de Officiis aulæ, & Ecclesiæ C-P. & Bullingerus lib. 1. de Veste Pontif. cap. 7. quòd illud capitis integumentum opere Phrygio elaboratum erat. Sed horum opinio mihi non probatur; etenim cùm vestes etiam phrygio opere contextæ fuerint, de quibus L. 2. de re vestiariâ c. 11. eruditè agit vir clarissimus, nec unquam satis laudatus Octavius Ferrarius, phrygium juxtà eam significationem acceptum non magis capitis, quàm alterius partis tegumen expressisset. Quare mitram phrygium dictam existimo eò, quòd eadem erat peculiare tegumentum, quo Phryges capita operiebant. Hinc Latinus ille apud Virgilium Æneid. 9. ver. 616. exprobrat Phrygibus Æneæ fociis, quòd mitras in capite gestabant.

Et tunicae manicas, & habent redimicula mitræ. O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Tatianus Assyrius in libro adversus Græcos, qui florantissimus, & insignis dicitur à Hieronymo in Catalogo Scriptorum, irridet Helenam, quæ relicto flavi-

como Menelao mitrigerum, & abundantem auro Paridem secuta est. Tomo 2. Bibl. Patrum pag. 177. Edit. Colon. 1618. Paridem Phrygium mitrigerum vocat à capitis tegumento Phrygiæ genti familiari. Isidorus etiam lib. 19. Originum cap. 21. ait: *Mitra est pileum Phrygium caput protegens.* Ex quibus satis solidè probatur, mitram phrygii nomine appellatam, quòd peculiare fuit apud Phrygios capitis integumentum, non autem quòd phrygio opere contexta erat.

Cùm Episcopus Altini Septimius animadvertisset in nostrâ provinciâ Venetâ plurimos Clericos in spe-
ciem tantum damnatis erroribus Pelagianis in Catho-
licorum consortium receptos hæresim clanculum resta-
urare, statim hac de re per literas Leonem Pontificem certiore fecit, qui ad Januarium Antistitem Aquilejensem totius provinciæ Metropolitam literas misit, quibus hæc inter cætera injungit: *Ut congregatâ Synodo Provincialium Sacerdotum, omnes sive Presbyteri, sive Diaconi, sive cujuscunque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum, Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem posteaquam hyprocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris Auctores, & quicquid in doctrinâ eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis, & apertis, ac propria manu scriptis protestationibus eloquantur.* Epistolam etiam Septimii transmisit ad eundem Januarium, ut patet ex initio ejusdem: *Relatione Sancti Fratris, & Coepiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur &c.* Hæc Leonis Epistola octuagesima quarta ad Nicetam Aquilejensem vulgò inscripta est. In antiquis codicibus Conciliorum editionis Colonienfis anno 1551. hunc titulum præferebat: *ad Aquilejensem Episcopum.* At cùm quidam legerent Epistolam 77. scriptam ad Nicetam Episcopum Aquilejensem datam XI. Kal. Aprilis Leone, & Majorano Augg. Coll. nempe anno 458. alteram quoque posteriorem 84. ad eundem Nicetam missam existimant. Verùm hanc Epistolam scriptam ad Januarium anno 447. & quidè antè quartam, quæ Januario eidem inscribitur, non improbabiler quis suspicari posset ex collatione Epistolæ 83. ad Septimium, & 4. ad Januarium, quæ sunt ejusdem omninò exempli; nam cùm Januarius Leonis rescripsisset, se omnia ex ipsius mandato acturum, cogendo hæreticos ad publicam erroris detestationem voce, & scripto insuper firmandam, Leonas ejusdem exempli literas misit ad Septimium, quibus ei significabat, quæ Januario mandasset, & ad Januarium, quibus gratulabatur, quòd imperata promptè facesset. Hoc non potest melius evinci, quàm utramque Epistolam subjiciendo.

Epistola 83. Leonis Papæ ad Septimum Altini Episcopum.

Lectis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum Christi, pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali savitiâ simplices quoque dilacerent, & non solum ipsi nullâ correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad metropolitanum Episcopum

Epistola 4. Leonis Papæ ad Januarium Aquilejensem Episcopum.

Lectis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestialis savitiâ simplices quoque dilacerent, & non solum ipsi nullâ correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus

Episcopum pro vincia Venetia scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum, & Cælestianorum consortio veniens in communi one Catholicâ sine professione legitima satisfactionis habeatur. Saluberrimum est enim, & spiritualis medicina utilitate plenissimum, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, sive alii cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis dudum peremptis, nulla sperandi superfit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria ceperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri &c.

Septimio quidem insinuat, scripsisse se ad Januarium, nemini licere ab his Ecclesiis, ad quas propriè pertinebant, abscedere, quò ignoti facilius ad sacros Ordines superiores promoverentur, quod ex Epist. 84. ad eundem Antistitem Aquilejensem patet. Januario verò consulente, an Clerici qui Pelagiani aliquando fuerint, ad superiores ordines promoveri possent, id severè prohibet: *adempti sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetuâ maneant.* Literæ illæ Leonis datæ sunt ad Januarium Pridie Kal. Julii Alipio, & Ardabure VV. CC. Coss. anno scilicet 447. Undè corrigendæ sunt tabulæ Ughelli, qui in Italiæ sacra descriptione Tomo 5. Aquilejenses Patriarchas recensens post Sanctum Chromatium Nicetam ponit. Ille enim floruit vivente Rufino Aquilejensi, ut constat ex priori investivâ ejusdem Rufini, ubi ait: *Signaculum fidei consecutum sum per sanctos viros Chromatium, Jovinum, & Eusebium opinatissimos, & probatissimos in Ecclesiâ Dei Episcopos.* Rufinus verò obiit ineunte anno 411. Sanctus Nicetas vivebat anno 458. nam eo anno ad ipsum legitur scripta Epist. 77. Leonis Papæ data XII. Kal. Aprilis Majorano primùm Cof. post illatum ab Attilâ Aquilejensibus excidium. Quare Januarius, qui anno 447. eam Ecclesiam regebat, inter Chromatium, & Nicetam locandus est; hic enim anno demum 450. sedere cœpit. Imò vir disertissimus Henricus Palladius lib. 10. rerum Foro-Julienensium medios duos alios inferit, Augustinum, & Adelphum, quos Ughellus Nicetâ posteriores facit. Illud autem observandum est in Epist. 84. quæ ad Nicetam dicitur scripta, integra duo capita ad verbum ex libro Enchiridii Sancti Augustini nempe cap. 45. & 46. excerpta legi, quod in Augustini gloriam cedit, nempe Pontificem doctissimum, eundemque eloquentissimum contra Pelagianos ex Apostolicâ Sede unius Augustini vocibus esse locutum, ut jam Augustini sententiæ Spiritus Sancti oracula evaserint. Sed de his allas

Anno Dum hæc in Italiâ contra Pelagianos à Leone, & *447.* Januario Aquilejensi decernuntur, iidem superbi divinæ gratiæ hostes à Sancto Germano totâ Britannia expulsi solum vertere coacti sunt. Res autem ita se habuit. Repressis anno 430. in Britannia Pelagianis per Germanum, & Lupum Gallicos Antistites, diuturna pax esse non potuit. Nam illis quidem re feliciter gestâ in patriam profectis, hostes elanculum nonnullorum animos tentare, & eosdem se ad adjicere lento conatu ceperunt; quorundam

ximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, qui à nobis in hæreticorum, atque Schismaticorum sectam delapsus, & se utinque hæreticæ communionis contagione maculavit, respiciens in communionem Catholicâ sine professione legitima satisfactionis habeatur. Saluberrimum est enim, & spiritualis medicina utilitate plenissimum est, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri vellent, atque ad Catholicam fidem, quam jam pridem amiserant, rursim reverti ambiant, prius errores suos, & ipsos auctores errorum damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis etiam peremptis, nulla sperandi superfit occasio, ne ullum membrum talium possit societate violari, quam per omnia illis professio propria ceperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri &c.

postea accessione superbientes iterum bellum contra gratiam restaurantes in publicum eruperunt. Britannii, qui vera dogmata tuebantur, hos hostium insultus per literas Germano Antiodorensi significarunt opem etiam, atque etiam implorantes. Ille adjuncto Severo Trevirensium Antistite Lupi Trecentis discipulo in Britanniam iteratò navigavit, ubi magno cum honore exceptus populum quidem vetera fidei Christianæ dogmata retinere cognovit, paucis quibusdam ad Pelagianos accedentibus. In rebellionis Auctores quæsitum, atque mitius, quam sceleris gravitas poscebat, in eisdem animadversum est, etenim ex Insulâ pulsi in mediterraneas regiones deportati sunt, ne novis iterum tumultibus Britannicas Ecclesias turbarent, de quâ re Henricus Antiodorensis lib. 4. Vitæ Beati Germani antè annos septingentos hæroico carmine descripsit: ait:

*Hinc sacer ad plebem sermo convertitur omnem
De lapsu seu que reparent impendia lapsum.
Obtinet immotis columnen fundata columnis
Tuta fidei, fidei pugnant pro fœdere cuncti.
Perpauci suberant detecta fraudis alumni:
Sistuntur, cunctis eadem sententia præstat,
Mullari exilio jugi. Sic Insula felix
Tartaræ tum peste carens, insignibus almæ
Nunc etiam fidei casto splendore coruscat.*

Qui auctor, uti & Bedæ lib. 1. Hist. Anglicæ cap. 21. omnia desumpserunt à Constantio lib. 2. Vitæ Sancti Germani. Cæterum quod non conveniunt Scriptores, in statuendo tempore, quo hæc contra Pelagianos in Britannia peracta sunt, & hoc quoque investigandum est, ut rerum in Pelagianâ causâ gestarum tempora inter tot opiniones certius habeantur.

Germanum altero antè obitum anno in Britanniam profectum ex Constantio colligitur, qui libro 2. cap. 5. inquit: *Vix domum de transmarinâ expeditione remeaverat, & jam legatio Armoricanæ tractus fatigationem Beati Antistiti ambiebat.* Mortuum verò scribit, dum apud Valentianum Ravennæ eâ legatione fugebatur; quare annus obitus Germani indagandus est, ut Britannicæ navigationis tempus statuatur. Certum est, Germanum non superasse annum 450. Nam idem Ravennæ honorificè exceptus fuit à Placidia, quæ ex Prospero in Chronico obiit anno 450. V. Kal. Decembris, & à Petro Chrysologo, quem eo anno, vel superiori fortè dececessisse 2. Decembris, quâ die ejus memoria recolitur, patet ex Epistolâ Leonis 35. ad Leonem Ravennatem datam die 24. Octob. Marciano Cof. hoc est anno

no 457. Nam anno 448. idem Chrysológus literas ad Eutychem malè jam ob hæresim audientem dedit; Eutyches verò in Italià eo ipso anno ad Kalendas Junias inter Catholicos habebatur ex literis Leonis ad ipsam eadem die datis, in quibus Eutychem zelum laudat; quo contrà Nestorianos depugnabat: ea est Epistola sexta. Hæc inserenda putavi, ut eos corrigerem, qui Petrum Chrysológum circa annum 440. obiisse scribunt, quæ fuit Hieronymi Rubei, & communis Scriptorum Ravennatum sententia, quæ si vera esset, sanè antè annum 440. Germanus Antifiodorensis Ravennæ Crysológus Præfule diem obiisset. Sigebertus in Chronico tradit anno 450. mortuum Germanum, cui astipulantur Annales rerum Antifiodorensium. Sigonius antiquæ historiæ peritissimus libro 13. de Imperio Occidentali scribit illum obiisse anno 448., quod quidem ex Armoricanis tumultibus potius, quam certiori argumento deduxit. Verùm ex Constantio, qui Germani vitam diligentissimè in literas digessit, annus ejusdem obitus insigni caractere explicatur. Scribit lib. 1. cap. 5. Sanctum Amatorem Germani decessorem obiisse Kalendis Maii ferià quartà, at ferià IV. incidit in primam Maii anno 418. Cyclo Solis VII. Lunæ I. lit. F. quare eo anno Amatori suffectus fuit; cum verò ex Constantio annos triginta Antifiodorensis Ecclesiam rexerit, patet eundem ad Superos abiisse anno 448. die 31. Julii.

Hic tamen quædam Adonis narratio corrigenda est, quam si admitteremus, Germani obitus ultrà annum 470. protrahendus foret. Scribit in Chronico ætate VI. Germanum Antifiodorensis Viennæ Ravennam versus transeuntem Severo Presbytero sanctitate, & miraculis illustri templum eo tempore ædificanti promississe, se ex Italià reducecem ejusdem templi consecrationi adfuturum. Cum autem Severus nequicquam diu Germano expectato templi dedicationem perageret, sacrum Germani cadaver ex Italià Viennam delatum ibidem in novâ Ecclesiâ paululum repositum fuit, donec jumenta reficerentur, additque: *Ischius tunc temporis Viennensem regebat Ecclesiam sextus à Beato Paschasio, cuius diebus præfatus Severus gloriosus Presbyter ab Indiâ Viennam venit; qui Episcopus floruit usque ad tempora Zenonis Imperatoris.* Hæc certè longius à vero abeunt. Nam Ischius sedit Viennæ inter Sanctos Mamertum, & Avitum Archiepiscopos; habemus locupletissimum, & idoneum restem ipsum Alcimum Avitum ejusdem Ischii filium, & postea successorem, qui in oratione de rogationibus apud Surium ad 11. Maii hæc ait: *Prædecessor namque meus, & spiritualis mihi in baptismo Pater Sanctus Mamertus Sacerdos, cui ante paucos annos Pater carnis meæ accepto (sicut Deo visum est) sacerdotio in tempore successit.* Mamertus floruit anno 462. & sequentibus, ut liquet ex Epistolis Hilari Papæ ad Episcopos Galliæ, & Sidonius Episcopus anno 472. lib. 7. Epist. 1. ad Mamertum scribit. Quare cum Germani corpus Viennæ Antifiodorum perferebatur, & quidem jubente Placidia Augusta, Viennensem Ecclesiam Ischius Mamerti successor minimè regebat.

Hoc anno 448. obiisse Massiliæ Cassianum scribit Guesnay lib. 2. de Vita ejusdem cap. 2. pag. 228. *Placidissimè, inquit, expiravit, animamque auctori, à quo conditam acceperat, feliciter transmisit anno post Christum natum 448.* Idem repetit cap. 25. pag. 505. *In pace quievit X. Kalend. Augusti anno 448.* Cum verò, uti cætera, etiam annum obitus Cassiani sibi fingat, statim idem ipse sui obitus post decem ver-

sus in alterum annum vitam eidem prorogat inquit: *mortuus est Massiliæ anno 449. Theodosii junioris anno 42. Valentiniæ tertii 25. & Leonis Papæ X. Ibi verò nempe cap. 25. pag. 505. Trithemium asserentem obiisse Cassianum anno 435. ex eo rejicit, quia dedit Cassianus libros suos de Incarnatione Leoni Papæ ordine temporum Sixto longè inferiori.* Idem dixerat cap. 1. eo, quod Cassianus in Epilogo lib. 7. ad Constantinopolitanos ait: *Undè obsecro, ac deprecor omnes vos, qui intrà C. P. urbis ambitum sitis, & per affectum patriæ cives mei, & per unitatem fidei fratres mei estis, ut separetis vos ab illo, ut scriptum est, lupi rapaci, qui devorat Dei populum sicut cibum panis.* Ommitto, quod Leo immediatus Sixti successor improprie dicitur *ordine temporum Sixto longè inferior.* Illud mendacio propius est, quod velit Cassianum libros de Incarnatione nuncupasse Leoni jam Papæ, atque adeo eisdem non emissos citrà annum 440. quo ille ad Pontificium solium erectus fuit; Cassianus enim scripsit illa volumina, ut rectè advertit Cardinalis Baronius, antè Synodum Ephesinam celebratam anno 431. in quâ cum damnatus fuerit Nestorius, illam profectò Cassianus contrà eundem scribens laudasset, si post eum annum scripsisset. Præterea anno 431. Nestorius Constantinopoli ejectus in suburbanum Antiochenorum Monasterium relegatus, dein Oasim postea exul deportatus fuit. At cum Cassianus illa scriberet, debebat Constantinopoli Nestorius; cur enim hortatus fuisset regis urbis cives, ut se separent ab illo, qui tam procul ab urbe regia in Asiâ vitam agebat? Libros quidem illos septem Cassianus Leoni dicavit, at nondum Papæ, sed id temporis Archidiacono Ecclesiæ Romanæ. Testatur hoc disertè Gennadius in libro de Script. Illustr. cap. 61. *Ad extremum, ait, rogatus à Leone Archidiacono, postea Urbis Romæ Episcopo scripsit adversus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem.* Sed quid Gennadii testimonio utor? Guesnayum ipsum appello hæc lib. 2. cap. 1. num. 2. scribentem: *Nec in Leone Romæ Ecclesiæ tunc Archidiacono post Sixtum verò Pontifice desinit hæc sollicitudo, neque oratio ad hujus rei disceptationem desiderata est; Nam eius hortatu Cassianus adversus Nestorium adhuc Constantinopoli degentem luculentum, atque perutile de Incarnatione Verbi suum illud edidit commentarium.* Et tamen Guesnayus, qui passim, & ubique contraria pronunciat contrà celeberrimum annualium Scriptorum Cardinalem Baronium, alioque hæc scripturire ausus est lib. 1. cap. 54. num. 7. *Alia quæ docet de Cassiano apertè secum pugnant, & non modò non coherentia inter se dicunt, sed maxime disjuncta, atque contraria.* Hæc ipsa illum audire fas est, quæ per summam injuriam doctissimo Scriptori affricat; alios enim antilogiæ insimulat, qui ejusdem vitii sapissimè reus est. Ego sanè de anno mortis Cassiani nihil certi in veterum monumentis reperio. Compertum tamen est, post annum 433. eundem decessisse Theodosio, & Valentiniano regnantibus. Guesnayus lib. 2. cap. 3. num. 5. hæc addit de Cassiano: *Corpore fuit satis amplo, & cui esset abundè sanguinis, ut Scytharum temperatio solet. Color oris pallidum inter, fuscumque anceps, quantum ex icone argenteâ Urbani V. studio, & impensis factâ conicere licet. Facie honestâ, & liberali, frons exporrecta, & lata majestatem addebat. Casios, vegetosque oculos habuit, nasum modicum, vultum hilarem quidem, sed vividum, & ardentem, barbam, & capillos n'gros, &c. Quæ, aliaque dum satis*

M
confi-

confidenter obtrudit, nihil aliud agit, quàm ut Lectores non absque risu mortuo Cassiano parentent, audientes Guesnajum, qui duodecimo à Cassiani morte sæculo vixit, tam exactè de facie hominem novisse, & colorem oris ejusdem ex *argenteâ iconè* didicisse. Sed hisce figmentis omiſſis obiit Cassianus cum opinione sanctitatis; undè Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 12. ad Respectam Abbatissam Massiliensem laudat monasterium, *quod in honorem sancti Cassiani est consecratum.* Urbanus V. caput Cassiani argenteâ thecâ inclusum hac epigraphe ornandum jussit: *Caput sancti Cassiani.* Eiusdem memoria colitur Massiliæ die 23. Julii, eique precum officia solemnè ritu persolvuntur, & antè ejusdem sepulchrum extat diu, noctuque ardens lucerna propter reverentiam ergà ejusdem sanctitatem. Fuit vir doctissimus, & si in quibusdam ab Augustini doctrinâ recessit, id eo tempore egit, quando pro utrâque parte illis de rebus disputare licebat. Eiusdem collationes sanctissimi, ac sapientissimi viri eximie commendarunt; hos inter fuisse Sanctum Fulgentium ex cap. 12. Vitæ illius constat, cui tamen, uti & cæteris doctrina de gratiâ collat. 13. asserta minimè probata fuit, quam etiam postea Apostolica Sedes proscripsit.

CAPUT XIII.

Eucherii Lugdunensis, & Hilarii Arelatensis Mors. Prosper ab Epistolis Leoni Papæ. Celebratur Synodus Calchedonensis. Valentinianus Imperator occiditur. Juliani Pelagiani mors recitatur.

Anno 449. Anno quadringentesimo quadagesimo nono duo magni nominis Præsules diem obiere, Hilarius Arelatensis, & Eucherius Lugdunensis. De Hilarii obitu constat ex literis Leonis Papæ datis hoc anno XI. Kal. Octob. Asterio, & Protogene Cosl. ubi ait: *Quod ergo in Arelatensium civitate defuncto sancti memorie Hilario virum etiam nobis probatum fratrem Rayennium secundum desideria Cleri, honoratorum, & plebis unanimiter consecratis &c.* Undè erravit Genadius cap. 69. de Script. Illustr. ad Marciani Imperium, qui sequenti anno regnavit, ejusdem Hilarii obitum producit. Rayennius olim Hilarii legatum egerat apud Leonem ex Honorato in lib. de Vita Hilarii cap. 10. cum ejusdem Ecclesiæ Presbyter esset. Obiit vero 5. Maii ætatis anno 48. teste eodem Honorato, qui gesta Hilarii posterorum memoriæ scriptis commendavit. Fuit Hilarius, ut ait Prosper, *unus eorum*, qui Sancti Augustini sententiam de gratuitâ prædestinatione ad fidem acriter impugnarunt, cum verò summa esset apud omnes de Hilario æstimatio, ob viri auctoritatem plurimi contrà Augustinum steterunt, cum alii illum defendere timerent. Scribit hæc Prosper in Epistolâ ad Augustinum datâ initio Episcopatus Hilarii, ut ad annum 429. ostensum est: *Ex quo non solum his, qui eos audiunt, verum etiam ipsi, qui audiuntur cum dignitatibus crevit periculum, dum & multos reverentia eorum aut inutili cobibet silentio, aut incurioso ducit assensu, & saluberrimum ipsi videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur.* An tandem aliquando errorem deposuerit, nescio. Ex libertate Augustinianæ sententiæ impugnandæ à quibusdam illius ætatis viris Augustino doctior habebatur; undè Livii inter Poetas tunc satis insignis dictum celebratur ab Honorato cap. 6. *Si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.* Huic poe-

tæ tantum fingere encomium licuit. Prosâ, & carmine valuit, & ad stuporem usque Eucherio placuit. Libros certè Geneseos carmine describere proposuerat, extatque hujus operis fragmentum ad Leonem Papam tomo 5. Bibl. Pat. p. 2. Hinc suspicor poema illud de providentiâ, quod inter opera Prosperi insertum est, Hilario adscribi posse; cum auctorem Semipelagianum esse apertè pateat, viditque Bellarminus lib. de Script. Eccles. V. Prosper. Quæ de Hilario satis sint, nam ejus vitam diffusè scripsit Honoratus, ejus libellum olim desiderabat Baronius in notis Martyrol. ad 5. Maii, ubi de Hilario Augustinianæ doctrinæ defensore ea prodit, quæ satis evidenter à nobis ad annum 427. confutata sunt.

Eodem anno 449. Eucherium Lugdunensem defunctum esse tradit illius ætatis, ac regionis scriptor Prosper Tiro in Chronico: *Eucherius Lugdunensis Episcopus, & Arelatensis egregiam vitam consumant morte.* Attamen Sauslajus ad annum 454. Eucherii mortem collocavit, quem secutus est Labbæus, Baronius verò ad annum 463. ejusdem vitam profert ibidem num. 5. Certè anno 452. non vivebat, nam in Epist. 50. Leonis inter reliquos Episcopos Galliæ non recensetur. Hunc Eucherium ferè omnes Monasterium Lerinense habitasse scribunt, Theophilus verò Raynaudus apud Bollandum in notis ad Vitam Sancti Honorati ad diem 16. Januarii negat fuisse illum Monachum Lerinensem; sed Eucherio judice lis componitur. Hunc anno 427. in proximâ Leronis insulâ, quæ Sanctæ Margaritæ nomine hodie indicatur, habitasse ex Epistolâ ejusdem in laudem eremi percriptâ patet. Hilarius in oratione de Sancto Honorato cap. 22. ait: *Beatus Eucherius, cum ab Eremita in tabulis, ut afolet, cera illius in proximâ ab ipso degens insulâ, literas ejus suscepisset.* Initio tamen cum ad Monasticum institutum se recepisset in Lerinam venit, quod verò non Cœnobitum, sed Anachoretam agere vellet ex Cassiano in præfat. Collat. II. Leronem se contulit, hinc in Epistolâ de laude eremi ait: *Equidem cunctis Eremiticis locis, quæ piorum illuminantur secessu, reverentiam debeo, præcipuè tamen Lerinam meam honore completor, quæ procellosi naufragii mundi effusus piissimis ulnis receperat venientes.* Ex quibus intelligitur carmen illud Sidonii in Eucharistico ubi celebrans Lerinæ Monachos ait.

Eucheri venientis iter, redeuntis Hilari.

Quibus verbis significat, Hilarium relicto Honorato, quem Arelatem prosecutus fuerat, suam Lerinam repetisse; Eucherium verò initio quidem in Lerinam venisse, à quâ postea in proximam insulam secessit. Idem Baronius in Annalibus ad annum quadringentesimum quadagesimum primum, & in notis ad Martyrol. ad diem 16. Novemb. duos Eucherios Episcopos Lugdunenses in unum conflarat, quod postea erratum magnus Historicus correxit in appendice ad tom. 10. p. 962. Unus enim est Eucherius senior, cui Cassianus septem collationes antè annum 426. nuncupavit, junior alter, qui Cæsario convixit, & anno 529. Synodum Arausicanam subscripsit, integro sæculo à priori distans. At Scriptor Annalium Augustinensium ad annum 463. utriusque Eucherii facta tamque unius gesta recenset, cumque juniori duæ filiæ ex Adone fuerint, alter verò duos filios habuerit Salonium, & Varanium, eidem Eucherio utramque prolem affingit, qui tamen in Sausajo ad diem 16. Novemb. duos Eucherios legere potuit, quem ille Auctorem sæpè laudat. Plures enim præclarissimi Antistites inter

inter utrumque Eucherium fuisse, quorum præcipui Sanctus Patiens Sidonii Epistolis celebratus, Sanctus Rusticus qui anno 494 Epiphanium Ticinensem Theodorici Regis legatum Lugdunum excepit, & Sanctus Vivenotus, qui Synodum Epaunensem subscriptione firmavit, & huic posterior Eucherius successit, cuius ordinationem Ado describit in Martyrol. die 16. Novembris de seniori nihil recitans.

Hic celebrem Augustini hostem Cassianum ad septem collationes perscribendas penè impulit, nam Cassianus Collat. 18. cap. 1. ait: *Post conspectum, atque colloquium trium illorum senum, quorum collationes Sancto fratre nostro Eucherio compellente, utcumque digestissimus. Quas etiam in epitomem redigisse ex Gennadio diximus anno 427. Baronius ab Eucherio Cassianum correctum dicit, ne in Semipelagianismi suspicionem Antistes Lugdunensis veniat; sed ut superius notavimus, id contra veterum testimonia asseritur. An verò Cassiano suo ita adhæserit, ut Augustino quoad illam de gratiâ, & prædestinatione doctrinam spectat, repugnant non ausim affirmare, imò Augustiniano illum dogmati studuisse colligo ex iis, quæ habet in lib. de Quæst. vet. testam. ad Salonium filium, ubi ad libros Regum ita scribit: *Quia Deus suum illud iustum, incorruptumque iudicium ex æquitate deponit, non ex præscientiâ eligit quempiam, cum meretur; reprobat, cum electione indignus efficitur.* Porro Eucherii patris doctrinæ duo ejusdem filii Salonius, & Veranus adherent in dialogo in Parab. Salonius, qui licet sub Hilarii disciplinâ in Lerinensi Monasterio educati, Augustinianam tamen sententiam de prædestinatione amplectantur, ut palam sit, illam temporis successione in Galliis prævaluisse; Salonii verba sunt: *Omnes enim lapides sæculi, id est sancti, & electi viri opera sunt Domini, qui ante non propria virtute, quia nemo suo merito electus est à Domino, ut celesti ædificationi esset aptus, sed solâ gratiâ, & misericordiâ ipsius.* Quâ brevi sententiâ ex meritis fidei naturalis prædestinationis Semipelagianorum suffocatur. Uterque verò Episcopus fuit, quorum est communis Epistola ad Sanctum Leonem Papam de quibus etiam mentionem facit Gennadius in Catalogo Scriptorum Illustrum.*

Possent nonnulli suspicari ex verbis Prosperi in Epistola ad Augustinum, ubi ait de Semipelagianis, & aliqui eorum adepto nãp̄ sum no sacerdoti honore supremient, hos inter includi Eucherium, uti Hilarium intelligi diximus, & Maximum denotari quoque Offerius contendit, sed planè hic hallucinatur, quia literæ illæ datæ sunt anno 429. Maximus verò anno demum 433. ad Rejensem sedem erectus est. Eucherius quoque haud in numero eorum Episcoporum, de quibus Prosper, reponi potest, nam in oratione paræneticâ, quâ Valerianum cognatum ad Monasticam vitam secum ineundam hortatur, atque religiosam solitudinem miris præconiis effert, scribit ab Urbe conditâ ad sua usque tempora fluxisse annos 1185. quo tempore currebat annus 432. Epochæ Christianæ, quando Eucherius adhuc Monachus Leroneus incolebat. Anno 441. interfuit Arausicanæ I. Synodo, eamque cum cæteris subscripsit. Et hæc de Eucherio.

Hoc anno 449. universo Oriente ob Eutychetis hæresim commoto Leo Pontifex pluribus Epistolis tum ad Principes, tum ad Episcopos missis nascenti malo obviam ire conatus est. Epistolam præcipuè dedit ad Flavianum Antistitem Constantinopolitanum Idibus Junii adeò mirabilem, ut in Synodo Romanâ sub Gelasio hoc elogio approbata fuerit: *Cujus*

textum quispiam si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Porro hanc Epistolam, & cæteras contra Eutychem à Leone Magno emissas à Prospero Pontificis Notario dictatas fuisse testatur Gennadius ejusdem sæculi Scriptor, & aliàs non bene ergà Prosperum animatus lib. de Script. Illust. cap. 84. *Epistolæ quoque Papæ Leonis adversus Eutychem de verâ Christi Incarnatione ad diversos datæ, & ab ipso dictatæ creduntur; & Baronius ad diem 25. Junii in Martyrol. notis ait: Ado Viennensis, & alii tradunt, Prosperum fuisse ab Epistolis Sancto Leoni Papæ, ab eoque scripta fertur famosissima illa Epistola Sancti Leonis ad Flavianum de Incarnatione Verbi; Quod non tantum Gennadius, Honorius, & alii, sed & Marcellinus Comes testatur in Chronico sub Consulatu Olybrii, & Rustici, ita ut in tantâ antiquorum consensione vix Bellarmino hac de re jure dubitandi locus super sit. Hoc indè etiam probari potest, quòd Epist. 84. ad Antistitem Aquilejensem Prosperi stylum sapit; hic enim in fine libri adversus Colatorem ait: *Notum est ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat præventæ correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, tota se posse in exiguâ sui parte reparare; quæ in Leonis Epistola adversus eosdem Pelagianos datâ sic redduntur: *Novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particulâ dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Quibus accedit, illi Epistolæ, ut dictum est, duo integra capita ex Enchiridio Sancti Augustini ad verbum inseri, quod Prosperi Augustinianæ doctrinæ studiosissimi industriâ factum putaverim. Ado Viennensis hoc ipsum refert de Prospero his verbis: *Sed & Prosper Aquitanicæ regionis Notarius Beati Leonis, à quo dictatæ creduntur esse Epistolæ adversus Eutychem de verâ Incarnatione Christi, & libero arbitrio male sentientem.* Sanè nusquam reprehensus est à Patribus, vel in Synodo Eutyches, quòd Pelagianorum de libero arbitrio sententiam sequeretur, de Incarnatione tantum loquatur tot literæ Sancti Leonis adversus ejusdem hæresim ad plurimos datæ, quare haud in hoc Adoni credendum est.**

Celebratur paulò post Synodus Calchedone adversus Eutychem, & Dioscorum, cui Prosperum Apostolicæ Sedis Notarium interfuisse Leonis nomine scribit Joannes Antonius Flaminius Imolenis in Vita Prosperi, quæ legitur apud Surium ad diem 25. Junii, & præfigi solet Prosperi libris. Sed hoc ille scriptor, ut pleraque alia, è sito cerebro fingit. Leo in Epistolis 12. 18. 31. 41. 45. 36. 38. suos ad Synodum Legatos nominat, imò Epist. 14. & 22. Notarios etiam Româ in Orientem ad Synodum destinatos dicit Dulcitium, Epiphanium, & Dionysium, neque semel in tot Epistolis Prosperi nomen legitur, ut Calchedonem cum aliis à Leone legatum missum fuisse minimè verisimile sit. Et quidè Flaminius rerum à Prospero gestarum planè imperitus est; ejus cum Semipelagianis conflictus præterit; sub Leone Magno Romam primum venisse narrat, cum pro Augustinianâ doctrinâ, ac suæ fidei famâ suscipiendâ Romam ad Cælestinum se contulerit, aliaque de ejus Episcopatu prorsus à verò aliena asserit, ut certè in Prosperi rebus totus hospes ille scriptor videatur. Interim chronologia Baronii, ac Flamini corrigenda est, qui anno 449. Notarium illum fuisse Leonis asserunt, quo munere Episcopi nonungebantur, ut constat ex literis ejusdem Leonis, qui Notarios filios semper dicit, nunquam fratres nominat, neque

Anno
451.

de hoc dubium est. Postea Baronius ad annum 466. scribit, eundem vixisse Episcopum annos 24. Flaminus verò 22. & ambo mortuum asserunt anno 466. ut anno 449. quando contra Eutychetem scribi ceptum est, jam Prosper inter Episcopos fuerit.

Anno
455.

Anno 455. XVI. Kal. Aprilis Valentinianus Imperator Romæ insidiis Maximi, cujus uxori vim ille intulerat, percussus est. Natus erat teste Prospero VI. Nonas Julias Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. anno 418. nobis memorabili, quo Pelagianorum damnatio toto Orbe conclamata fuit. Marcellinus tamen in Chronico ad sequentem annum Plinta, & Monaxio Coss. natum eundem autumat V. Nonas Julias. Petavius rem sub lite dimittit. Verum ex Olympiodoro diligentissimo illius ætatis scriptore Marcellini sententia præferenda est. Etenim initio anni 417. nuptiæ inter Constantium, & Placidiam celebratæ fuerunt; verba Olympiodori dedimus lib. I. cap. 20. prius verò natam Honoriam, quam Valentinianum idem auctor prodit: *Hinc inquiring nata filia, quam Honoriam nominarunt, filius item, cui Valentiniano nomen datum.* Dicitur fuit Cæsar anno 424. ab Hellione Magistro officiorum Theodosii nomine Cæsareâ veste Theffalonicæ indutus; sequenti anno Romæ Imperator Augustus creatus fuit jam septennis, quo anno potestate Tribunitiâ decoratus est, ut putant ex titulo literarum dat. VII. Kal. Februarii Sporatio Consule anno 452. *Imp. Fl. Valentinianus Pontifex inclutus, Germanicus inclutus, Alamanicus inclutus, Sarmaticus inclutus, Tribunitiâ potestatis vicies septies, Imperator vicies septies, Consul septies.* Hi tituli leguntur in Synodi Calchedonenfis tertiâ actione editionis sub Sixto, itemque Coloniensis Bini, at Græca exemplaria illos non exhibent; videntur ergo ab aliquo sciolo adfuti, neque enim Christiani Imperatores post Gratianum Pontificis titulum sibi usurparunt. Vixit Valentinianus annos XXXV. Menses VIII. Imperavit verò annos XXIX. Menses III. obiit finè prole masculâ duabus fœminis relictis Eudoxiâ, & Placidiâ eodem partu editis anno 437. IV. Non. Novembris ex Chronico Alexandrino. Non est nostri instituti ejusdem Principis tum virtutes, tum vitia recensere; ille sanè Orthodoxam fidem defendit, ac severis legibus in hæreticos animadvertit. Adhuc puer sub Placidiâ datus ad Patroclum Arelatensem literis, quas lib. I. cap. 24. produximus, Pelagianorum Episcoporum audaciam compefcuit. Auctor est Gennadius, Valentiniano imperante Julianum olim tum à Zosimo, & Cœlestino, tum ab Ephesinâ Synodo, ac Sixto III. toties damnatum obiisse. Baronius ad annum 419. num. 54. arguit Gennadium, quod dixit, Julianum decessisse Constantio, & Valentiniano imperantibus. At injustè Gennadius reprehenditur, nam ejusdem liber Basileæ anno 1516 inter opera Hieronymi excusus tradit, Julianum mortuum *Valentiniano Constantii filio imperante*, & ita olim legit Petrus de Natalibus; Undè editio Suffridi Petri corrigenda est, quæ ait: *Moritur Valentiniano, & Constantino ejus filio imperante.* Nam Valentinianus ex Eudoxiâ conjuge duas tantum filias suscepit ex Procopio lib. I. de bello Vandalico. Vignierius, qui quatuor Augustini contra Julianum libros tandiu desideratos posteris donavit, in præfatione Operis imperfecti laudat hæc verba Prosperi cap. 6. de dimidiâ temp. promiss. *In Italiâ quoque nobis opud Campaniam constitutis, dum venerabilis, & Apostolico honore nominandus Papa Leo subvertet, & cor. eret Pelagianos, & maxime Julianum;* Et statim

inert; *Ex quo immaniter Gennadium errasse constat, qui sub Valentiniano Julianum obiisse in suo catalogo commemorat.* Sed Vignierius ipse immaniter erravit, dum Leonem Valentiniano imperante haud Pontificem putavit; Leonis Papæ anno XV. Valentinianus occisus fuit. Legitur Epistola Sancti Leonis 29. & sequentes datæ *Valentiniano Augusto VII. & Avieno Coss.* nempe anno 450. Prosper verò ante quatuor paginas ejusdem voluminis, quod appellat ille auctor, nempe promissione 38. ait: *Sub Constantio, & Placidiâ Augusta, quorum nunc filius Valentinianus Pius, & Christianus imperat &c.* Vignierius hunc Valentinianum Imperatorem hujus nominis Tertium cum altero Valentiniano I. vel II. fortè confudit. Hic idem Scriptor affirmat, diu Julianum superstitem fuisse, Lerinensè etiam cœnobium petiisse, ubi à Faustorabate imprudenter exceptus ejusdem animam Semipelagianis erroribus infecit; addit, attigisse Julianum tempora Fulgentii Ruspensis, ac tandem in Sicilia Ludi Magistrum fatis concessisse, idque ex M.SS. testimoniis, quæ in lucem se emissurum promittit, probatum sibi esse autumat. Cæterum nobis interim assensum suspendere licebit; jam enim ab anno 426. ex Cassiani libris Lerinenses pravis de divinâ gratiâ opinionibus infectos accepimus, atque anno 429. ex eo cœnobio Hilarium Arelatensem magnum Semipelagianorum Patronum egressum Prosper asseruit. Fulgentii ætatem eundem attigisse pueri fortè concedam. Nam Julianus anno 410. erat Diaconus, quod ex Epistola Sancti Doctoris 131. ad Memorium Juliani Patrem intelligitur; illam enim detulit Possidius Episcopus Calamensis, cum à Synodo Africanâ celebratâ post consulatum gloriosissimorum Imp. Honorii VIII. & Theodosii II. Augg. anno 410. legatus ad Honorium destinatus fuit ex codice Concil. Africæ. Ibidem verò Julianus Diaconus ab Augustino commendatur. Fulgentius verò natus est juxta Baronii sententiam anno 464. nostram verò quadriennio post. Non possum hic non execrari spissimum errorem, ut mitius loquar, Petri de Natalibus Episcopi Equilini, qui libro tertio de Sanctis inter Divos Julianum Pelagianum connumerat hunc in capite 39. titulum inscribens: *De Sancto Juliano Confessore.* Quo loco in testem vocat Gennadium, qui tamen cap. 45. apertè de Juliano scribit: *Postea verò hæresim Pelagii defendere nixus scripsit adversus Augustinum impugnatores illius libros quatuor, & iterum libros octo.* Et tamen hæc per summam imperitiam Equilinus scriptur: *Hic scripsit adversus quandam impugnatores ejus libros quatuor, & iterum adversus alios hæresiarchas libros octo,* Augustinum hæresiarcharum nomine infamato; Et hos Homines scribere! Gennadius ait, Julianum clarum fuisse inter Ecclesiæ Doctores antequam ad Pelagianos accederet; unde infertur non aded juvenem fuisse anno 417. ut Fulgentii pueritiâ excesserit. Plura de eodem diximus libro primo, ubi illius genus, studia, conjugium, aliave descripsimus.

Scripsit Julianus adversus primum lib. Sancti Augustini de Nuptiis, & Concupiscentiâ libros quatuor, quos nuncupavit Turbantio Episcopo Pelagiano, qui postea ad bonam frugem rediit; hos confutavit Augustinus altero libro de Nuptiis, & concupiscentiâ, & plenius sex libris contra Julianum inscriptis. Ille autem secundum illud Sancti Doctoris volumen octo libris rursus adortus fuit, quibus Sanctus Pater in opere imperfecto respondet. Scribit Julianus, duas se Epistolas ad Zosimum scripsisse, totidem alias Sanctum

ctum

Aut Augustinum eum distasse tradit, Romam unam, alteram duodeviginti Episcoporum subscriptione firmatam ad Rufum Episcopum Theſſalonicenſem; illius Epistolæ ad Zosimum fragmenta quædam recitavit ex Mario Mercatore lib. 1. cap. 18. Jansenius in indice librorum à Juliano editorum emiſit librum de constantia, quem tamen se legiſſe Beda affirmat in præfatione ad lib. Canticorum, quo loco idem Beda duos Juliani libros commemorat in Cantica exaratos, quorum primus inſcriptus ab illo fuit *De Amore*, ubi hunc poſſe à ſædis voluptatibus ſegregari oſtendit, in altero verò ſacri epithalamii expoſitionem conſtruit, hæreticis ſententiis juxta Pelagianam ſcholam utroque libro aſperſo, ut Beda apertè demonſtrat; etenim veluti veneno antidotum opponens duos & ipſe libros elucubravit, in uno ea, quæ in libro de Amore Julianus tradidit, reſellit, in altero autem Canticorum explicationem aggreditur.

461. Pelagiani à Leone Magno tam ſeveris legibus coerciti ſunt, ut per triginta, & ampliùs annos nihil contrà ipſos deinceps ab Apoſtolica Sede ſancitum legamus. Obiit Sanctiſſimus Pontifex anno ſalutis 461. Pontificatùs verò XXI. de fide Orthodoxâ optimè meritus: ille enim Manichæos, Neſtorianos, Eutychem, aliasque peſtes proſtrigavit, atque eas inter Pelagianam quoque hæreſim ultimo penè icu jugulavit. Gelafius Papa in Epistolâ ad Episcopum Honorium Leonem poſtremum ponit Romanorum Præſulum, qui Pelagianos damnarunt: *An forte ſe, ait, neſcitis hanc hæreſim, de quâ loquimur, & ab Apoſtolica dudum Sede per Beatæ Mem. Innocentium, ac deinde Zosimum, Sixtum, Leonem continuis, & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam?* Tantùm verò honoris ab hoc Leone Auguſtino noſtro datum eſt, ut in Epistolâ ad Januarium 84. vulgò ad Nicetam integra ex Auguſtinianis libris capita recitari.

CAPUT XIV.

Fauſtus Rejorum Episcopus. Proſperi obitus, de cujus Episcopatu ſententia proferunt. Plures libri eidem falſò adſcripti. Joannis Flamini erroes notati.

462. Interim Fauſtus in locum Maximi Episcopi in Rejenſi cathedrâ ſuſſectus in Galliam nos vocat, quò tragœdiam ab ipſo contrà Auguſtinum concinnatam ſpectemus. Quo anno Rejorum Episcopus inauguratus fuerit, non liquet. Baronius ad annum 472. ejuſdem dignitatem revocat, quòd Sidonius tunc Episcopus in Epistolâ ad Fauſtum, novam Fauſti Episcopi dignitatem appellat, Sidonium verò anno circiter 472. Arvernorum Antiftitem electum optimè idem Baronius deducit ex ejuſdem Epistolâ ad Lupum Trecentem. Cæterùm jam antè decennium legimus in Epistolis Hilari Papæ Fauſtum fuiſſe Episcopum; nam Pontifex in literis datis ad Leontium, & alios Gallicanos Præſules III. Nonas Decemb. anno 462. ſcribit, Fauſtum, & Auxanium Episcopos interfuiſſe Synodo apud ſe in Urbe celebratâ: *Præſidente fratrum, inquit, numeroſo Concilio è diverſis provinciis ad diem natalis noſtri in honorem Beati Petri Apoſtoli per Dei gratiam congregato, præſidentibus fratribus, & Coepiscopis noſtris Fauſto, & Auxanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem reſpiciunt, auctoritatemque judicii, id à nobis pacis amore eſt conſtitutum, ut in ſententiâ, quâ ſub adverſione utriusque legationis inde directæ Chriſto Domino noſtro inſpirante protulimus &c.*

Graviſſima lis inter Leontium Arelatenſem, & Marmertum Viennenſem Metropolitans agitabatur, iſte enim Dienſibus Episcopum dederat, quòd ad ſe ſpectare Arelatenſis Antiftes contendeat. Fauſtus, & Auxanius ab Synodo iudices electi Leontio cauſam adjudicarunt, quam ſententiam idem Hilarius Papa anno ſequenti 463. ratam declaravit: *Omnia, inquit, quæ à vobis ſunt per Fratres, & Coepiscopos noſtros Fauſtum, & Auxanium definita roborantes congregatioes annuas ordinante fratre, & Coepiscopo noſtro Leontio admonitis Metropolitanis, quòd ſæpè dicendum eſt, celebrare dignemini.* Ex his ab anno 462. Fauſtus Rejorum Episcopus intelligitur, ut eorum ſententia penitus corruat, qui eo tempore Proſperum Aquitanum Rejenſium in Galliâ Antiftitem ponunt, uti Baronius, Bellarminus, Sauſſajus, & alii dicere: Nam ex Sidonii Euchariftico certum eſt, Fauſtum Maximo ſucceſſiſſe, dum ſcribit ad eundem in Euchariftico: *Undè tu cujus Monachusque Antiftes, & Abbas Bis ſucceſſor agis.*

Maximum verò anno 433. Episcopatum indeptum diximus; idem anno 439. interfuit Synodo Rejenſi, anno 441. Arauficana decreta ſubſcripſit. Rurſus anno 452. nominatur in Epistolis Episcoporum Galliæ ad Leonem, & in reſcripto ad eodem, in quibus cum inter cæteros Fauſtus non legatur, non obſcurè deducitur id temporis Lerinenſium Abbatem fuiſſe. Undè nullus reſtat Proſpero locus in Rejenſi Sede Maximum inter, ac Fauſtum, cum præſertim Proſpero viginti quatuor anni Episcopatùs à Baronio denter. Accedit neque in literis Leonis anno 452. neque in literis Hilari anno 464. in quibus Narbonenſis Galliæ Præſules nominantur, ullum Proſperum legi, ſed in his Fauſtum, in illis verò Maximum ejuſdem deſceſſorem. Inſuper etiam Proſper fuiſſet Rejorum Episcopus, non benè dicit Baronius ad annum 466. *Proſper Regienſis in Aquitaniâ Episcopus*, nam Rejenſes non locantur in Aquitaniâ, ſed in Narbonenſi provinciâ ſecundâ.

Joannes Antonius Flaminius in Vitâ Proſperi, Ferrarius in Martyrologio, & Itali Scriptores communiter aſſerunt, Proſperum fuiſſe Episcopum Regii Lepidi in Inſubriâ, & ſanè illa Eccleſia ſuum eſſe hunc Proſperum contendit, pioque cultu ejus quot annis memoriâ celebrat. At neque verum eſt, illum Regienſibus præſuiſſe annis duobus, & viginti, ut tradunt proximè memorati Scriptores ejus obitum utque ad annum 466. producentes, nam anno 451. Faventius erat Regii Lepidi Episcopus, ut pater ex literis Synodi Mediolanenſis ad Leonem Papam, quæ ponuntur antè 51. Epistolam ejuſdem, ibi enim legitur: *Ego Faventius Episcopus Regienſis Eccleſiæ in omnia ſubſcripta conſenſi, & ſubſcripſi.* Imò tabulæ Eccleſiæ Regienſis, quas in Italiâ Sacrà proferit Ughellus circa annum 458. Elpidium Regienſem Episcopum ponunt, undè ſi Proſper plurimos annos illius Urbis ſacris præſuiſſe dicendus eſt, ut ex antiquis ejuſdem Eccleſiæ breviariis Ferrarius reſert, jam ultra Anthemii tempora Episcopatus Proſperi excurret, cujus rei nullum antiquum auctorem laudabimus. Ego quidem cum videam omnes Scriptores, qui Proſpero viciniore fuerit, illius nomen abſque ullâ dignitatis ſacræ mentione recitare, vix adduci poſſum, ut eundem fuiſſe alicubi Episcopum credam. Gennadius cap. 88. ita ſcribit: *Proſper homo Aquitanicæ Regionis*: qui tamen quolibet ſcriptores vel Episcopos, vel Presbyteros eorumdem ſacrâ

dignitate recensitâ nominat. Victoriâ ex eadem Aquitaniâ, ac Prosperi coætaneus illum tanquam Episcopum non appellavit in epistolâ nuncupatoriâ ad Hilarum Papam. Gelasius in indice Auctorum approbatorum, cum cæteros Episcopos nominasset, ac postea etiam Hieronymum Presbyterum dixisset, addit: *Item Opuscula Prosperi viri religiosissimi*. Non autem hinc cogimur ad negandum, eundem Presbyterum fuisse, nam ibidem de Rufino ait: *Rufinus vir religiosus*, quem tamen Presbyterum fuisse certum est. Et hi eodem sæculo florere; proximo verò nullus Prosperum Episcopum nuncupavit, non Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. non Victor Tunonensis initio Chronicorum. Abbas Biclariensis initio Chronici ait: *Post Eusebium Cæsariensis Ecclesiæ Episcopum, Hieronymum toto Orbe notum Presbyterum, nec non & Prosperum virum religiosum, atque Victorem Tunonensis Ecclesiæ Africanæ Episcopum, &c.* Primum, & ultimum Episcopos dicit, non item Prosperum. Miror autem, Vossium virum aliâs diligentissimum ex Marcellino Comite lib. 1. Hist. Pelag. cap. 18. Prosperum Episcopum nominare; nam ille ad consulatum Viviani, & Basilii unius Gennadii verbis loquitur, quem transcripsisse nemini dubium esse potest; Indè etiam Ado suum Prospero testimonium dedit. Honorius Augustodunensis in lib. de Script. Eccles. num. 460. vel cap. 94. dicit Prosperum Episcopum, undè plerique in eam sententiam abjere, sed id Amanuensium erratum fuit, nam cum ad verbum omnia ille transcribat ex Gennadio, ubi hic habet: *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus nervosus &c.* Honorius legit: *Prosper Episcopus Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus nervosus &c.* quem tamen sic errasse, dum Episcopum Aquitanicæ regionis Prosperum scribit, cum Narbonensis regionis Episcopus dicendus fuisset, non credam; cur enim homini Augustodunensi tantum erroris affricem? Est enim Augustodunum in Provinciâ Lugdunensi primâ. Quod si Martinus Polonus, & Trithemius, qui post octingentos annos ab obitu Prosperi vixere, illum Episcopum appellant, antiquis plus fidei habendum puto. Quo anno Sanctus Prosper obierit incertum est; scripsisse illum Chronicon usque ad captam Urbem à Genferico, quæ accidit anno 455. scribit Gennadius, Marcellinus Comes ut adhuc superstitis mentionem facit ad annum 463. Philippus Labbè, qui catalogum sui Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis eruditè observationibus illustravit, scribit decessisse Prosperum anno 456. etenim Victorius Aquitanus in laudatâ epistolâ nuncupatoriâ, quam anno 457. scriptam esse, ex Paschali caractere, aliisque temporum notis eidem additis certum est, vocat Prosperum Sanctum, ac venerabilem virum. Sed levis hæc conjectura est, nam eo tempore Sancti titulus etiam viventibus deferebatur, ut passim patet, & Prosper ipse vocat Leonitium Diaconum, & Hilarium Episcopum Sanctos in Epistolâ ad Augustinum. Imò cum ibidem Victorius nominans Hieronymum Sanctæ memoriæ illum dicat, neque eâ honoris præfatione utatur in nominando Prospero, eodem Auctore eo anno 457. Prosperum adhuc superstitem fuisse credo.

Plura scripsit Prosper, nam præter Chronicon, quod integrum nuper donavit laudatus Labbè tomo 1. Bibl. MSS. tres pro divinæ gratiæ defensione epistolâs dedit ad Augustinum, ad Rufinum, ac Demetriadem, quarum postrema cum inter Ambrosia-

nas circumferretur, nostro Aquitano restituta est auctore Joanne Costero Lovaniensibus adprobantibus. Baronius ad annum 413. scribit, hanc epistolam ad Demetriadem à Bedâ lib. 1. in Cantica Prospero adscriptam fuisse, & alteram contra divinam gratiam ad eandem Virginem ab eodem attributam Pelagio. Sed utrumque falsum est; nam ibi Beda non Pelagio, sed per errorem Juliano attribuit epistolam ad Demetriadem pro defensione liberi arbitrii exaratam, alterius verò, ad Demetriadem epistolæ à Prospero scriptæ, ne meminit quidem. Egregium volumen edidit contra Collatorem, de quo superius plura dicta sunt, uti etiam libellos quosdam, quæ nonnullorum Gallorum, Vincentii Lerinensis, ac aliorum objectiones contra Augustini doctrinam dissolvere conatus est. Celebre est carmen ejusdem heroicum contra Ingratos, nempe Semipelagianos divinæ gratiæ decurtatores. Aliud verò poema de providentiâ non est Prosperi, sed hominis Semipelagiani, ut à plerisque notatum est. Idem tamen composuit librum Sententiarum CCCLXXXVIII. ex variis Sancti Augustini libris conflatum. Tria justa volumina auctorem præferunt Prosperum, quæ tamen haud ab illo composita fuisse pro certo habeo; sed paulò fusiùs res aperienda venit.

In primis Auctorem faciunt hunc Prosperum Aquitanum librorum de prædictionibus, & promissionibus Dei, qui in partes tres divisi sunt. Ego verò non Prospero Aquitano adscribendos illos libros existimo, sed alteri Prospero Africano. Horum voluminum auctor parte 3. cap. 6. narrat Aspare Carthagine constituto, nempe anno 434. cum à Tregetio contra Genfericum feliciter pugnatum est, puellâ à Dæmone ibidem vexatâ mirum quid se præsentente evenisse: *Accidit autem, inquit, ut quintusdecimus Dominicus illucesceret dies ascendente nobiscum sacerdote, ut matutinum illic sacrificium solito offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit &c.* Igitur ille Scriptor ad annum 434. Carthagine morabatur, cum tamen noster Prosper id temporis in Galliis contra Semipelagianos excubaret, uti ad annum 433. expendimus. Rursus idem Scriptor par. 3. promiss. 38. juvenem se Carthagine fuisse sub Aurelio Antistite testatur: *Cum Sancta Pascha solemniter ageretur festivitas collecta illic, & undique omni curiositate etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum Pater, & digna memoria nominandus Antistes Aurelius cælestis jam patriæ civis cathedram illic loco cælestis & habuit, & sedit. Ipse tunc aderam cum sociis, & amicis, atque ut se adolescentium atas impatiens circumquaque vertebat, &c.* Hoc templum Cælestis anno 399. consecratum fuit, quando Honorius Imperator edicto templum Idolorum cum suis adjacentibus spatiis Ecclesiis derulit: ex Prospero ibidem. Ex his patet, hunc Scriptorem fuisse civem Carthaginensem, cum antè annum 400. & anno 434. Carthaginem incoluisse se dicat, quod etiam ex iis, quæ in fine libri de quadam peculiari Carthaginensium consuetudine tradit, non obscure colligitur. At noster Prosper fuit Aquitanus, & in Epistolâ ad Augustinum ait: *Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris animo, ac sermone compertus*. Quod fieri non potuisset, si eo tempore Carthagine fuisset sub Aurelio, cum Augustinus ob Synodos frequentiores Carthaginem sæpissime frequentaret, undè & videre Prosperum, & à Prospero videri potuisset. Hæc scribit Cassiodorus, qui eodem, quo Prosper, & insequenti sæculo vixit, initio libri de divinis lectionibus. Sanctus quoque Prof-

per secula curâ legendus est, qui tres libros totius auctoritatis divinae in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit, ad instar piscium, quos Evangelica retia de huius seculi tempestosâ profunditate traxerunt. Porro hic memoratos hucusque libros de divinis promissionibus designari patet ex præfatione, & peroratione operis, nam tres priores partes ex quadraginta capitulis singulæ constant, quæ verò has consequitur, in viginti capita distribuitur, ultima ex tredecim constat, & perficiunt, ait in peroratione centum quinquaginta tria, in quo numero sacri illi pisces veri veritatis incorrupto post resurrectionem Domini iussione capti sunt, millia sanctorum significantes &c. Quare duos Prosperos coætaeos fuisse puto, hunc Africanum, alterum verò Aquitanum ex Gennadio, & ille fortè fuit Regii Lepidi Episcopus in Insubriâ.

Sequuntur libri tres de Vitâ contemplativâ Juliano Episcopo inscripti, quorum idem Prosper Auctor publicatur. Sanè illos Prosperi esse ex antiquis existimantur Codogandus Episcopus Metensis in lib. de Laicali Institutione, Synodus Aquisgranensis sub Ludovico Pio, & Theodolphus Aurelianensis, qui scripsit de Spiritu Sancto anno 809. cuius liber editus est à Sirmondo. Cæterum non esse Prosperi, sed Juliani cognomento Pomerii, qui Arelate in Galliis Rethoricam docuit, cujus scholam Cæsarium juvenem adiuvisse inferius dicemus, mihi penè certum est ex Sancto Isidoro in lib. de Eccles. Script. cap. 12. ubi agens de libris ejusdem Pomerii ait in fine capituli: *Edidit etiam unum libellum de virginibus instituentis: alios quoque tres de futura vitâ contemplatione, vel actuali conversatione, nec non etiam de vitiis, & virtutibus.* Qui sanè libri sunt illi, qui Prosperi nomine vulgò circumferuntur; In quorum primo, ut ipse testatur in præfatione libri tertii, agitur de vitâ contemplativâ: in altero de actuali vitâ: in postremo de vitiis, & virtutibus. His accedit, ab hoc Scriptore lib. 2. cap. 9. Hilarius Arelatensem etiam, atque etiam laudati, quod Prosper Aquitanus non ita liberaliter fecisset, cum Hilarius Arelatensis Semipelagianorum in Galliis Coryphæus fuerit, ut ipsemet Prosper testatur in literis ad Augustinum. Ibi verò loquitur de Hilario uti jam defuncto, nempe post annum 449. se verò non esse Episcopum palam ostendit lib. 1. cap. 14. Undè, qui putant hosce libros esse Prosperi, non video, quâ ratione scribant mortuum Prosperum anno 466. exactis duobus, & viginti annis in Episcopatu. Præterea hic Scriptor nuncupavit memoratos libros Juliano Episcopo, quo jubente se illos exarasse testatur initio præfationis. At in Gennadio Suffridi Petri cap. 98. scribitur: *Pomerius natione Maurus in Galliâ Presbyter ordinatus interrogantibus Juliano Episcopo, & Vero Presbytero &c. composuit de naturâ anime & qualitate ejus libros octo.* Ut planè compertum fiat, eidem Episcopo Juliano & libros de Vitâ contemplativâ, & libros de Animâ, uti ait Gennadius, ab eodem auctore inscriptos fuisse. Itaque neque illi tres libri de vitâ contemplativâ Prosperum auctorem habuere, quod vidit etiam vir eruditissimus Pater Lupus in epistolâ apologeticâ ad me scriptâ de Contritione Christianâ Lovanii impressâ anno 1667. in quâ cap. 5. ad 8. accusationem ex laudato Isidoro hoc probat, affirmans Dacherium, & Sirmondum in eadem sententiâ fuisse.

Julianus igitur Pomerius Maurus vir insignis, ac in Galliâ percelebris, ut patet ex libro 1. de Vitâ Sancti Cæsarii cap. 3. horum voluminum auctor dicitur, vel certè quicumque alius fuerit, idem meritò

inter sectatores Sancti Augustini numerandus est; nam lib. 3. cap. 3. cum eximie Sanctum Augustinum commendasset, addit: *Quem in his libellis pro possibilitate secutus sum.* Quod sanè constat cuique vel leviter eodem inspicienti. Verùm in libro secundo de Animâ, ubi quærit: *Utrum anima corporea sit, an incorporea,* à Sancti Augustini sententiâ discedens, Tertulliani erroribus consentiens animam corpoream esse dixit. Ita testatur Sanctus Isidorus, nam octo illi libri Pomerii de animâ interciiderunt. Erat eâ etate celebris in Galliâ quæstio de animæ corpulentia, nam corpoream esse illam ibidem docuere Cassianus, Faustus, Gennadius, ad quos & Pomerius accessit, qui eodem seculo floruit. Oppositum scriptis sustinebant Sanctus Avitus Viennensis Antistes in Epistolâ ad Regem Burgundionum, & Claudianus Mamercus in libris de Animâ.

Restant denique duo libri de vocatione Gentium, qui vulgò sub nomine Prosperi leguntur. Hi quidem voluminibus Sancti Ambrosii inserti erant, sed immeritò, nam lib. 1. cap. 7. leguntur hæc verba: *Fato autem non baptizari parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere, sed quia eos à peccato liberos ausi sunt profiteri, meruere damnari.* Quare illi libri non sunt Ambrosii, qui mortuus est anno 397. antequam Pelagianorum nomen audiretur, sed planè scripti sunt post Pelagianos ab Apostolicâ Sede damnatos. Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 20. ait se pro certo habere, non esse Regiensis Prosperi, quòd illorum auctor in sententiâ de reprobatione mollior sit, quàm Prosper Aquitanus. Vossio subscribo; etenim video, illorum Scriptorem diversâ à Prospero viâ abiisse. Nam lib. 2. plurimum laboris infumit, ut communem gratiam Dei omnibus faciat. Versans verò cap. 20. objectionem illam à parvulis ductam, in quâ Augustinus, & sectatores contra Pelagianos triumphum sibi cecinerunt, ita cap. 23. respondet: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ bene utique si eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem jurentur.* Quibus contraria scribit noster Prosper in carmine de Ingratis cap. 21. ubi urget illud argumentum de parvulis.

*Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud pateris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstulerit que aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos Sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.*

Item ille Scriptor toto libro secundo probat, Deum omnibus semper hominibus gratiam largitum fuisse; insigniora loca donat Vossius lib. 7. par. 1. thesi. 4. At Prosper hanc communem gratiam penitus repudiavit. Ibidem cap. 11. ait.

*— dic undè probes, quòd gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit.*

Quod improbat, quia Evangelium non omnibus gentibus annunciatum statim fuit, cum tamen alter gratiam communem faciat, quia ad omnes missi sunt Apostoli, ut Evangelium prædicarent. Porro cap. 3. initio gratiam communem suadet, quia Deus quosdam ad se cognoscendum celi, & terræ testimoniis convenit. Alios, nempe Judæos, doctrinâ legis, Prophe-

tarum

rarum oraculis, miraculorum signis adjuvit. Hanc autem non esse veram gratiam scribit Prosper in Epistolâ ad Demetriadem, sed illam, quâ Deus intrinsecus operatur, cum illa omnia exterius tantum animum pulsent, neque differant à gratiâ Pelagianorum, quæ consistebat in lege, doctrinâ, miraculis &c. ut fuscè narrat Sanctus Augustinus in libro de Gratiâ Christi. Rursus capite 5. tradit, gentes, quibus non uti Hebræis Numen se manifestavit, non esse excusabiles *Adhibita enim, inquit, semper est uniuersis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ est parioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* At noster Prosper canit cap. 37.

*Non autem rectè, nec verè dicitur illos,
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratiâ neglexit, degentes mortis in umbrâ,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus. Natura compede vincas
Procubuisse negant &c.*

Ubi ex peccato originis tradit hominem iure optimo gratiâ privari. Præterea idem Scriptor capite ultimo satis timidè de prædestinatione loquitur, imò scientiam illi præviam non semel ponere videtur, dum illam objectionem sibi opponens, frustra *norbrare, & laborare, si ex incommutabili proposito ejus Christianæ gratiæ subsistit electio;* ita ibi respondet: *Non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita, & præsentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & cum id paucis explicasset concludit: Hæc autem æterna, & semper tranquilla cognitio nullâ nos urget necessitate peccandi &c.* Ibidem electionem ad gratiam finè meritis adstruit, electionem verò ad gloriam ex meritis suspendit; *Deus ergo his, quos eligit finè meritis, dat unâ orientur ex meritis; Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint.* At Sanctus Prosper in Epistolâ ad Rufinum generosiùs divinæ prædestinationis decretum defendit, ac solidiùs illud communit, quod & in responsione ad Genuenses, aliosque itidem præstat. Et ut uno verbo concludam, nunquam me iudice unus, idemque auctor fuit horum librorum, & poematis contra Ingratos; Et Prosper, qui ubique Sanctum Augustinum laudat, in his etiam libris de vocatione Gentium eundem certè nominasset, si illorum scriptor fuisset.

Quarè existimo auctorem horum librorum de vocatione gentium medium quid sapere inter Semipelagianos, & Sanctum Augustinum, quem etiam mollem Augustinianum dixeris, cum Prosper inter rigidos meritò reponendus sit. Ille quidè lib. 1. cap. 8. & 9. Semipelagianismum suffocat, dum probat fidem, & perseverantiam esse dona Dei, unâ non possum ad Vossium accedere, dum scribit, Hilarium Arelatensem esse fortè illorum librorum auctorem, nam Hilarius cum Semipelagianis teste Prospero in Epistolâ ad Augustinum sentiebat. Sed de his satis. Illud tamen moneo me ita de Prosperi libris iudicare, ut in hoc opere vulgarem de illis sententiam quandoque secutus sim.

De hoc Prospero Herrera, & Elsius Augustiniani Scriptores plura commenti sunt, fuisse patriâ Lemovicensem, anno 399. degisse Carthagine, fuisse discipulum Sancti Augustini, & anno demum 426. ex Africâ in Gallias rediisse, quæ uti finè teste dicuntur, ita nullam apud Lectores fidem inveniunt. Certè Prosper in Epistolâ ad Augustinum scriptâ anno 429. ita satur initio: *Ignotus quidè tibi facie, sed*

jam aliquatenus se reminiscari animo, ac sermone compertus &c. ut planè supinam ignorantiam redoleat, quod ajunt, Prosperum in Africâ fuisse discipulum Sancti Augustini. Sancti Prosperi vitam posterorum memoriæ tradere tentavit Jo: Antonius Flaminus, quem sanè alterius Prosperi gesta scribere dicerem, nisi ex librorum indice de nostro hoc Aquitano eum loqui intelligerem; Sed Deus bone quas ibi fabulas nescit! Ut enim omittam scribi ab eodem illum in Asiam profectum, aliave, quæ reprehendimus ad annum 451. narrat, eundem postquam aliquandiu ibi (dubium Calchedone, an Romæ?) post Synodum commoratus est, electum Antistitem Regiensem, mortuum verò anno 466. Pontificatûs 22. cum inter Synodum Calchedonensem, & diem mortis quindecim tantum anni numerentur; Insuper mortuum asserit *Marciano Romano tenente Imperium*, cum Marcianus antè novennium decesserit, nempe anno 447. & Hilario II. Pontifice Max. cum unus tantum Hilarius seu Hilarus Summus Pontifex fuerit. Prospero tribuit libros de promissionibus, at cur ex illis Prosperum non semel in Africâ fuisse cognovit, ut hoc ipsum in ejus vitâ recenseret? Libros de vitâ contemplativâ inscriptos ait Juliano Summo Pontifici, cum nullus fuerit hujus nominis Papa, & Julianus ille Episcopus fuerit; Alia quæ addit planè sunt de communi, ut ajunt, unius Confessoris Pontificis. Sed Prospero satis laudum dat Ecclesia Romana, quæ in Martyrologio hæc de eodem recitat: *Apud Regium Sancti Prosperi Aquitani ejusdem Urbis Episcopi, eruditione, ac pietate insignis, qui adversus Pelagianos pro fide Catholicâ strenuè decertavit.*

CAPUT XV.

Faustus Rejenis magni nominis Episcopus sub prætextu Prædestinatiani erroris ex decreto Synodi Arelatensis ac Lugdunensis consultandi Sancti Augustini doctrinam impugnat. Ubi plura de Prædestinatianis, de Epistolâ Fausti ad Lucidum, atque de utraque Synodo disquiruntur.

Faustus Rejorum Antistes in ore famæ in Galliis versabatur, & provinciæ Episcopi ab ejusdem sententiâ pendebant. Sidonius & Epistolus, & carminibus ad Faustum datis eundem supra cæteros illius ætatis Præsules ad sidera usque effert. Sanctus Patiens Episcopus Lugdunensis, cum celeberrimam Sancti Justi Basilicam consecrare, atque ad encaniam peragenda plurimi Antistites convenissent, Faustus ornatum precibus exoratus luculentam orationem habuit, excipiente, ac plurimum commendante unâ cum reliquis eodem Sidonio. Ruricius vir nobilissimus, ac postea Lemovicensis Episcopus, cum de abdicandâ uxore, liberis, ac ditissimo patrimonio deliberaret, Fausto per literas hoc ipsum significavit, quem nuncupare solebat: *Patrem optimum, & Pastorem egregium*, ex lib. 1. Epist. 2. Et quidè universi Arelatensis Provinciæ Episcopi tantum Fausto detulere, ut in causâ Hermetis Diensis ad Hilarum Pontificem eidem legationem injunxerint. Faustus veteri suorum Lerinensium concellitarum, ac Cassiani Magistri opinioni inhærens Augustini sententiam de efficaci electorum prædestinatione hac occasione impugnavit. Fama erat, nonnullos ita Sancti Doctoris sententiam de gratuitâ prædestinatione defendere, ut in absurdos prorsus errores declinarent, quos Augustiniani dogmatis adversarii tali-

altiùs exaggerabant. Leontius Arelatensis Antistes, qui ex Hilari decreto in Galliis Synodos cogebat, ut è provinciâ horrida illa opinionum portenta, quæ à nonnullis defendi rumor erat, averruncaret, Concilium Arelate indixit, in quo cum plurima contrà nova, ac periculosa dogmata Patres statuisent, uni Fausto communi consensu injunctum fuit, ut editis libris ea fufius pertractaret, de quibus in Synodo actitatum fuerat. Testatur hoc Faustus in præfatione ad Leontium: *Quòd pro sollicitudine, inquit, pastoralis, beate Papa Leonti, in condemnando prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quòd verò ad ordinanda ea, quæ collatione publicâ doctissime protulistis, operam infirmis humeris, curamque mandastis, parùm, ut reor, tanto negotio, parùm sanctæ existimationi vestræ consulistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerastis.* Hic Leontius, cui suum opus Faustus inscripsit, fuit Episcopus Arelatensis, ut patet ex literis Hilari Papæ, Fausti ad Felicem, & Ruricii ad Eonium, cujus verba inferius recitabo. Hæc dixi, quia Baronius ad annum 490. & sæpè alibi, & Saussajus ad diem 1. Decembris, alique putant, hunc Leontium esse Episcopum illum celebrem Forojuliensem, cui Cassianus decem priores collationes dedicavit, cujus etiam amicitia Sanctus Honoratus Abbas Lerinensis plurimum lætabatur. Hic renunciatus fuit Episcopus propè annum 410. ut cap. 3. probavimus; Leontius verò Arelatensis circè annum 460. undè corrigendum est Saussajus, qui res ab utroque gestas gravi hallucinatione uni Forojulienfi adscribit. Interim cum novi rursus errores in controversiâ de divinæ gratiæ auxiliis subortii essent, in Lugdunensi Synodo eorum pariter confutandorum cura eidem Fausto commissa fuit. Testatur hæc Faustus in fine ejusdem præfationis: *In quo quidem, inquit, opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis adici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.* At Faustus malâ fide, atque animo adversis Augustini sententiam præoccupato demandatum munus executus à rectiori dogmate exorbitavit; etenim sub prætextu Prædestinantiæ hæresis confutandæ duos de Gratia, & Libero Arbitrio libros scripturavit, in quibus sub alieno corio Augustinus vapulavit, nam ejusdem de gratiâ prædestinatione sententiam totis lacertis impugnat, Massiliensium dogmata dudum à Sancto Doctore eversa restaurat, ac blasphemias, quas ab Hipponensi Præsule Prosper procul amoverat, eidem rursus imponit: uno verbo totus Anti-Augustinianus est; certè universa Sacri Codicis testimonia à Sancto Doctore laudata, ejusque interpretationes excutit, ut Joannes Maxentius ostendit in responsione ad Epistolam Hormisdæ. Unum, & breve quidem caput libri primi, nempe quartum inspiciamus, in eo Faustum è diametro contrà Augustinum pugnare, nec illos Recentiores, qui nuper pro Fausto laboriosas apologias enixi sunt, negaturos fuisse existimo, si rem extrâ partem studia considerassent: ibi enim cum Sancti Augustini sententiam de prædestinatione pluribus oppugnasset, concludit: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt, est deputatus, sicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicari;* Habemus consistentem reum, qui enim toto eo capite contrà prædestinationem gratuitam deputat, non obscure contrà Augustinum se stare profitetur; quis enim ille Sanctorum fuit, qui illam sententiam docuit, nisi Augustinus, qui sexcentis eam

locis, & subtilissimè tradidit, & validissimè propugnavit? Hinc olim scripserat idem Faustus ad Græcum, aliquid apud doctissimos in Augustini scriptis esse suspectum, nempe dogma de prædestinatione sine ullâ meritum prævisione. Præterea Faustus totus in eo est, ut suorum Lerinensium opiniones recoquat. Sæpè fidem ex viribus liberi arbitrii nasci docet: lib. 2. cap. 8. ait: *Undè hic extrâ legem positi accusantur increduli, nisi quia legem naturæ, cui fides juncta est, servare noluerunt? Undè objicitur incredulitas, nisi quia in promptu fuit credendi facultas? Liberi itaque arbitrii ratio facit ut remuneretur credens, ut damnetur incredulus.* Tradit etiam, posse nos absque Dei gratiâ petere, quærere, pulsare, ut eandem impetremus: illius verba recitavimus cap. 11.

Inter cæteros, qui Prædestinatioerroribus infecti cenfebantur, erat Lucidus nescio quis Presbyter, quem ut ab eo dogmate Faustus abduceret, Epistolam misit eundem amicè conveniens, quò horridam sententiam exueret, publicam, sin minùs obsequeretur, delationem apud Synodum interminatus: hanc Epistolam subscribere undecim Episcopi, ac ipse etiam postea Lucidus. Fueritne ad Synodum Arelatensem evocatus Lucidus, vel illæ literæ in Synodo, aut antè, vel post ejusdem celebrationem subscriptæ ab Episcopis fuerint, inferius disquiretur. Certè legitur apud Faustum ejusdem Lucidi Epistola ad Patres Synodi Lugdunensis, ut vulgò putant, in quâ suorum errorum palinodiam canit. Baronius, Vossius, alique Prædestinatioerrorum refellendi provinciam à Patribus Fausto Rejenfi demandatam scribunt, quòd strenuè se gesserat in Lucido ad bonam frugem revocando; Faustum tamen inquit, ea suis libris inferuisse, quæ haud in mandatis habebat, quibus doctissimi illi Antistites minimè albos calculos addidissent. Ille quidem eo in opere totus Semipelagianus est, undè postea à Romanis Pontificibus, ac Patribus unanimi consensu reprobatus fuit. At cum de Prædestinatioerroris gravis contentio paucis abhinc annis exarserit, nonnulla de eisdem præmittenda sunt, quò scriptorum Fausti exactior notitia habeatur.

In primis cum Faustus occasione erroris Prædestinatioerroris profigandi Arelate, ac Lugduni Synodos coactas testetur, de hac hominum sectâ videndum est, undè nam, ac quo tempore emerferit. Primus, qui hujus sectæ mentionem fecit, fuit Prosper Tiro, cujus Chronicon legitur tomo 5. Bibl. Patr. par. 3. edit. Colon. A. 1618. hic enim ad annum Honorii XXIII. ait: *Prædestinatioerroris hæresis, quæ ab Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa est.* Cum verò Honorius anno 395. die 17. Januarii mortuò Theodosio Patre imperium indeptus sit, anno 417. Prædestinatioerroris hæresis ex Tirone prorupit. Sigebertus ad annum 415. illam recitat; ejusdem mentionem etiam faciunt Faustus in præfatione ad Leontium, ac Arnobius junior in Expositione Palsterii. Mirari soleo, homines eruditos Prospero Tirone adeò confidenter fidem præstitisse, cum idem non tyro, sed puer in chronologiâ appareat, totus in historiâ hospes, ac omnium, quæ literis prodidit, imperitissimus: id paucis ostendo in iis, quæ scribit imperante Honorio contigisse. Anno III. Honorii, nempe 397. Æræ Christianæ recitat Innocentii pontificatum, cujus electio paracta est anno 402. Anno VI. Pelagianæ hæresis meminit, at non anno 400. sed 411. eandem primitus innotuisse diximus lib. 1.

lib. 1. cap. 4. Anno VIII. Cælestinum pontificatum iniisse testatur, scilicet anno 402. cum anno 423. in Bonifacii locum subrogatus fuerit. Anno X. Radagaisum in Italiam irrupisse scribit, cum anno VI. id acciderit, ut ostendimus lib. 1. cap. 2. Anno XIV. ponit mortem Stilichonis, atque Nestorii hæresim, hoc est anno 408. cum tamen anno 428. Nestorius electus fuerit Antistes C-P. quo tantum anno ejusdem hæresis incepit. Anno XXVI. narrat, sedisse Romæ Sixtum, quo anno 421. erat Bonifacius, Sixtus verò post Cælestinum anno 432. Apostolicam cathedram obtinuit. Anno XXIX. affirmat decessisse Constantinum Imperatorem Valentiniano octo annorum filio derelicto, qui tamen obiit anno Honorii XXVII. Valentiniano tertium ætatis annum vix ingresso. Anno XXXI. dicit Placidiam ab Honorio Romam relegatam, cum tamen Honorius imperaverit annos 29. menses 8. & Olympiodorus apud Photium Num. LXXX. Placidiam Constantinopolim ablegatam, & Philostorgius lib. 12. Byzantium translata dicant. Mallem Augiæ stabulum purgare, quàm Tironis hujus errores ex indice recitare. Profectò anno 417. nondum Sanctus Doctor de prædestinatione electorum scribere incepserat, sed anno insequenti in Epistolâ ad Sixtum, & libris contra Julianum postea editis famosam illam sententiam fusiùs tradidit, quam anno 417. in Epistolâ 106. ad Paulinum paucis indicaverat. Viderint ii, qui prædestinatianæ hæreseos chronologiam ex Prospero Tirone laudant, quali Scriptori fidem præstent.

Sirmondus in libello de hæresi eadem cap. 1. contendit anno circiter 424. apud Monachos Adrumetinos id genus sectæ emeruisse. Addit cap. 2. Prosperum, & Hilarium contra eandem Gallias inficientem Augustini opem petiisse, iisque morem gessisse Augustinum emissis è vestigio contra Prædestinatianos libris de Prædest. Sanct. & de. Dono perseverantiæ. Præterea cap. 3. scribit, memoratos Prosperum, & Hilarium mortuo Augustino, cum se se Prædestinatianorum furori comprimendo impares intelligerent, Romam ad Cælestinum confugisse, à quo gravissimum contra Prædestinatianos rescriptum ad Galliæ Episcopos datum impetrarunt. Hæc Jacobus Sirmondus scripsit effectâ ætate octogenario major, in quibus tam longè à veritate desexit, ut ejusdem historia à Gilberto Maguino V. C. Galliarum Regi à consiliis, & in sacrâ, ac profanâ historiâ veritatissimo fabula ignominia causâ fuerit nuncupata. Hic autem Scriptor adeò solidè, ac nervosè tria priora capita historiæ Sirmondianæ de Prædestinatianis confutat, ut Ludovicus Cellotius in Historiâ Gotteschalcanâ, in quâ Maguinum refellendum suscepit, libro 2. capite 2. ubi de Prædestinatianis agit, ne verbum quidem pro suo Sirmondo eidem Maguino repone potuerit. Magnus Ecclesiasticorum annalium Scriptor Baronius tradit, libros de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ contra Semipelagianos scriptos fuisse, itemque Prosperum, & Hilarium Romam profectos adversus eosdem à Cælestino literas obtinuisse, quæ sanè tam certa sunt, quàm falsâ illa, quæ ex Sirmondo retulimus. Idem tamen Baronius in quibusdam cum Sirmondo concinit; nam ad annum 490. hæc de Prædestinatianis scribit: *Post Sancti Augustini obitum prodiisse quosdam, qui ex ejus scriptis malè perceptis complures invexerunt errores, quos Sancti Augustini nomine, & auctoritate defendere conabantur, sed eos pro defensione ipsius Sancti Augustini ingenio Sanctus Prosper validè confutavit; dicebantur*

*isti; ut Sigebertus adnotavit, hæresis Prædestinatorum sectatores: Hæc ille. In primis salum est, Adrumetinos Monachos Prædestinatianæ hæresi initium dedisse, imò apud illos Semipelagianismus exortus est, at in ipsis cunis ab Augustino suffocatus fuit. Nam cum Sanctus Doctor accepisset, quosdam Adrumetinos Monachos in sinistras opiniones de divinâ gratiâ, & hominis arbitrio prolapsos, quò eosdem ab errore revocaret, librum statim perscripsit de Gratiâ, & libero arbitrio, de quo lib. 2. Retract. cap. 66. hæc habet: *Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostri dari, scripsi librum, cujus titulus est: De gratiâ, & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re ceperat esse contentio. Hic ergo liber non fuit scriptus contra Prædestinatianos, qui libero arbitrio sublato omnia gratiæ dabant, sed contra Pelagianorum reliquias asserentes liberum arbitrium auferri, si nulla hominis merita divinam gratiam antecederent. Sanctus Doctor à cap. 4. ejus libri usquè ad finem totus in eo est, ut probet, gratiam nulla hominum merita supponere, quòd ex delatione Cresconii, & Felicis intellexerat, quosdam oppositum docentes ipsius ad Sixtum Epistolam, in quâ error ille refellitur, impugnare. Profectò nonnullos memorati cœnobii Monachos Augustini dicta reprehendisse ex Evodii fragmento à Sirmondo recitato deducitur: *Legant ergo, inquit, Sancti Dei Majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris primum affectum, & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent, ut intelligant. At Prædestinatiani tantum abest, ut Augustini dicta erroris incusarent, quin potius ex uno Augustino datum illud dogma se deducere arbitrentur; illis enim erat, ut Sirmondus, cæterique ejusdem opinionis Scriptores contendunt, Augustinus puppis, ac prora, & sacra anchora in tempestate. Hinc Valentinus Adrumetinorum Abbas nolebat ea dissidia Augustino innotescere, pudebat enim ipsum, quosdam è suis Sancti Patris doctrinam censurâ subijcere. Hinc in Epistolâ ad Augustinum comparat eosdem cum iis discipulis, qui cum verba Domini non intelligerent, eidem obloquebantur Jo. 6. *Non culpa, inquit, Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis. Idem Augustinus in laudato volumine cap. 18. ait: *Nemo ergo vos fallat, fratres mei, quia nos non diligemus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Hoc ipsum ex Epistolâ Prosperi ad Augustinum apertè colligitur; hæc enim de Semipelagianis scribit: *Cum aliquandiu tarditatem suam culpam maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc, atque apertiorum Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordie Dei, ut cum quosdam intrâ Africam similia movissent, librum de Correctione, & Gratiâ plenum divina auctoritatis emitteres. Et Hilarius in Epistolâ ad eundem Hipponensem Patrem unâ cum memoratis Prosperi literis scriptâ ait: *Librum etiam de Gratiâ, & Libero arbitrio non habemus, superest, ut eum, quia utilem questioni confidimus, mereamur accipere. Ex quibus inferimus, eosdem tumultus, quos in Galliâ contra Augustinum Massilienses conciverant, dudum ab Adrumetinis fuisse in Africâ suscitatos, & Semipelagianos in Galliis eisdem libris, quos ad Adrumetinos Augustinus miserat, posse convinci. Sanè duo illi Monachi, qui ad Augustinum profecti Adrumetina dissidia eidem significaverunt, Hieronymus Mo-*******

nachum

nachum Semipelagianorum opinionem defendere testati fuerant; hæc enim Valentinus scribit: *Servi tui Flori, inquit, hæc fides est, Pater, non sicut fratres illi sunt locuti: impræsentiarum audierunt ab eo dictum, non juxta meritâ nostrâ dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris.* Florus ergo eâ contestatione objectum sibi errorem coram ipsismet delatoribus refutavit. At Augustinus in Epist. 46. rogat Valentinum, ut ad se Florum mittere dignetur: *Melius autem, ait, facietis, quod multum rogo, si ipsum, à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non gravemini; aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur &c.* Florus uti Semipelagianismi auctor delatus fuerat, quare ne ex unius errore cæteri in pravas de divinâ gratiâ opiniones descenderent, cum eodem loqui Augustinus optabat: Totus ergo Adrumetinorum error non Prædestinatianorum, sed Semipelagianorum fuit.

Opponunt Sirmondus, alique, Augustinum Epistolâ 46. ad Adrumetinos hæc initio statim scribere: *Nobis retulerunt, nempe Cresconius, & Felix, monasterium vestrum nonnullâ dissensione turbatum, eò quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.* Quis autem ex his non intelligat, hosce Monachos ita sentientes in Prædestinatiano luto hæsisse? Verùm ex ipso Augustino satis erudite responsonem Maguinus petit, qui initio libri de gratiâ, & libero arbitrio, cum præmississet, se pluribus disputasse contra liberi arbitrii adversus divinam gratiam defensores addit: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliqui scribere ad vestram charitatem, Valentinus frater, & cæteri, qui simul Deo servitii compellentemur à charitate curavi.* Disjunctim Augustinus loquitur, quasi delatoribus haud integram fidem commodaret, nam simplicitas eorum Augustino innotuerat, uti scribit Epist. 46. non quòd quidquam fingere voluerint, sed quòd præ illis in quæstionibus imperitiâ non satis congruenter, & aptè rem exponere potuerint. Noto autem hæc ibidem Sancti Patris verba: *Proinde librum vel Epistolam meam, quam secum ad vos supradicti attulerunt, secundum hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à Dei gratiâ separetis, tanquam sine illâ vel cogitare aliquid, vel agere secundum Deum ullâ ratione possimus, quod omnino non possumus.* Cur non dixit Augustinus, ut neque negetis liberum arbitrium, nisi quia exactè duobus illis Monachis interrogatis, cognovit nullum syncellitarum Adrumetinorum lectâ memoratâ Epistolâ ad Sixtum errorem aded crassum induisse. Ibidem tamen Semipelagianismum planè fugiendum jubet, quòd in eodem quosdam Monachorum esse cognoverat, undè ad eundem errorem ex illorum mentibus extirpandum legit eisdem Epistolam Cypriani uti pluribus Sanctus Doctor edisserit Epist. 47. Valentinus etiam in Epistolâ ad Augustinum scribit: *Liberum arbitrium Dei gratiâ non negamus, sed per quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus.* Nulli ergo id temporis erant inter suos Prædestinatiani liberum arbitrium negantes. Denique errasse Cresconium, & Felicem ex his Valentinus de iisdem ad Augustinum rescribentis verbis intelligimus: *Nec sic anima sauciata curata est: quibus propter ipsam pietatem sumptus dedimus ne vulnera ipsorum cumulavimus, quæ posset sanare libri hujus gratia, in quâ resulget tua sancta presentia. Quibus profectis quies, & pax per omnes fratres exultavit in Domino.* Quare reliqui, qui remanserant in

Monasterio, in sententiâ de gratiâ, & libero arbitrio conveniebant, à quibus ii tantum, qui ad Augustinum, & Evodium profecti sunt dissidebant. At cum illos errasse & Valentinus testetur, & ex Augustino etiam apertè colligatur, concludendum est, eosdem fuisse in errore, quem postea Semipelagiani in Galliis asseruere, existimantes negari arbitrium ab iis, qui gratiæ efficaciam, atque absolutam salvandorum electionem ex Epist. 105. ad Sixtum optimè defendebant. Et his patet, Prædestinatianam hæresim apud Adrumetum in Africâ minimè exortam.

At quòd neque eadem Cœlestino Pontifice in Galliis emerferit, neque à Prospero impugnata, vel à Pontifice damnata fuerit, mihi persuasum est, neque novos homines hoc ipsum probaturus in testes vocabo, sed ipsummet Prosperum, quem pro se testimonium dicere Sirmondus putavit. Hæc ille ad Augustinum scribit: *Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consilium in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Non ergo isti erant Prædestinatiani, qui sententiam Sancti Doctoris de vocatione electorum non impugnabant, sed eandem uti Pauli Apostoli dicitis conformem totis lacertis defendebant. Quid verò sententiæ Augustini objicerent paulò inferiùs narrat in hæc planè verba: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel antè mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis adferri &c. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Hæc, aliave plura scribit laudatus Pater, quæ quidè Sirmondus ita accepit, ac si Prosper ibidem illa à suis adversariis asserita, quasi in illa essent sententia, pronunciasset. Sed non is Prosperi sensus fuit; nam illa, ut Augustino à Massiliensibus objecta recitavit, tanquam absurda, quæ Augustini de absoluto prædestinandi decreto antè prævisa merita sententiam consequerentur, id enim ex Epistolæ contextu patet: *Removeri, dicebant, omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* At de Prædestinatianis dixisset non quidè, *si Dei constitutio, sed eò quòd Dei constitutio &c.* Imò Prædestinatiani, si qui fuerunt, nunquam aded stulti, ac paupertini ingenii fuisset credendi sunt, ut dixerint tolli virtutes, cum planè asseruerint easdem absque nostrâ industriâ nobis minimè cooperantibus cœlitus donari; neque etiam dixere, illud decretum *sanctis occasionem temporis adferre*; Calvinistæ enim, qui veri Prædestinatiani sunt, ea paradoxa negant se admittere, cum tamen reapse eadem devorare cogantur. Hinc Augustinus in lib. de Dono perf. cap. 15. & 16. respondet Massiliensium objectionibus docens prædestinationem absolutam neutiquam sanctis torporem injicere, ubi cap. 15. scribit in suo Monasterio Monachum quemdam ex pravâ divinæ præscientiæ consideratione apostatam evasisse, undè Sirmondus Prædestinatianis suis in Hipponensi Augustiniano Monasterio natales majori fortè jure poterat assignare. Rursus scribit: *dicere eosdem, Augustinum Epistolam Pauli ad Romanos novâ, & antiquis interpretibus contrariâ expositione explicasse; gratiam omnibus hominibus univer-*

se,

se, ac generatim offerri, apprehendi verò ab iis, qui quarunt, petunt, & pulsant; Christum Dominum pro omnibus mortuum, aliaque permulta, quæ non modò Prædestinarianis displicebant, sed oppositas etiam sententias uti præcipua sectæ theorematum propugnabant. Non ergo contrà Prædestinarianos, sed adversus Semipelagianos Epistola Prosperi scripta fuit; hinc dicit *vir spiritum Pelagianæ impietatis illudere*, quos etiam inferius *Pelagianæ pravitate reliquias* ignominie causâ nuncupat. Prædestinariani autem è diametro, ut ajunt, contrà Pelagianos stabant. Hoc ipsum ex Hilarii Epistolâ probari posset, at ea planè tota exscribenda foret, ubique enim Semipelagianis describuntur, nec una saltem linea Prædestinarianos designat.

In his quidem nobis cum Baronio convenit, at quòd vir insignis putavit, Prosperum contrà Prædestinarianos scripsisse, in hoc eidem consentire non possumus. Prosper non eos refellit, qui suos errores *Sancti Augustini nomine, & auctoritate defendere conabantur*, ut scribit laudatus Cardinalis, sed illos, qui Augustino obloquentes, per summam injuriam eisdem immania errorum portenta affricabant, quòd universos ab illius sententiis defendendis revocarent. Hoc facillimè ostendetur, si per singula Prosperi opuscula discurramus. Scripsit Prosper responsum ad capitula Gallorum, quibus Sancti Augustini doctrinam contrà Pelagianos, ut ait in præfatione, *visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere*. Profectò isti non fuere Prædestinariani, qui in uno Augustino opinionis patrocinium locabant. Idem respondit objectis Vincentii, qui ea ipsa, quæ Prædestinarianorum dogmata fuisse publicant, Prospero, ac reliquis Sancti Augustini defensoribus imponit; unde huic merito iratus Aquitanus Doctor scribit in proemio: *Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda, & ingerenda multis publice, privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo, quæ falso in nos ad excitandam invidiam jactitari facile, & sufficienter subscriptione unius probavimus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis bene sentiatur &c.* Ex his Prosperi verbis patet, Augustinum, ejusque discipulos tanquam Prædestinarianæ hæreseos assertores à Semipelagianis accusatos fuisse. Hoc ex collatione objectionum Massiliensium, & errorum Prædestinarianis adscriptorum paulò post demonstrabo. Scripsit insuper Prosper eruditissimam Epistolam ad Rufinum, in quâ hæc leguntur: *Cui Augustino inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas ad illuminationem Ecclesiæ, & ad gloriam Christi, quâ ipse illustratus est, præfulgenti quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur, & prout sibi noxias aliquorum aures, opportunasque repererint, scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem predicare fatalem. Adicientes etiam duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, ut scilicet tanta pietatis viro Paganorum, & Manichæorum adscribatur impietas.* Neque hi erant Prædestinariani, cum isti Augustino non obloquerentur, neque illi Manichæismum objicerent, sed eximii eundem laudibus effertent; fuisse verò eos homines

Semipelagianos palam intelligimus ex iis, quæ ibidem Prosper subnectit.

Quare manifestè constat, Prosperum editis apologiis errores non quidem, quos Prædestinariani tradebant, sed quos Augustini hostes per summam calumniam de eodem Sancto Doctore, imò & de ipsomet Prospero publicabant, confutasse. Hinc in Galliis Prosper tanquam Prædestinarianæ sectæ professor passim traducebatur, quasi doceret *adversantia veritati*, teste Cælestino Papâ in Epistolâ ad Episcopos Galliæ. Sanè hoc principale Prædestinatorum dogma esse ferebatur; Deum alios prædestinasse ad gratiam, & gloriam, alios ad malum, & gehennam, ut patet ex anathematibus Fauſti; hoc autem à Massiliensibus Augustino obiectum, non verò à Prædestinarianis sub nomine Augustini defensum scribit Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Non autem ignoras, etiam præterito tempore illi luculentissimo Sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione Sanctorum à quibusdam Gallis obiectum, quod Beatus Augustinus in assertione prædestinationis divine peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum, cuius dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus, & Sanctus rectè defendit fide, & copioso sermone.* Postea duobus Massiliensium obiectis recitatis addit: *Hinc itaque pravitate, quæ Beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex livore obiciebatur, tali Prosper sermone respondit.*

Cum verò doctissimi ferè omnes in Galliâ Massiliensibus, ac Lerinensibus adhererent, Augustiniana non modò sententiam de gratuita prædestinatione ad fidem abhorrebant, verum etiam quoslibet ejusdem sectatores *Prædestinatos* ignominie causâ appellabant. Ita Prosper ille Tiro, ita etiam Arnobius junior loquebantur; hic in psal. 146. ait: *Ostendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem.* Nota tibi, Prædestinate, quod loquor: *Omnium generaliter bonam voluntatem Christi. Gratiæ hoc ordine, quo diximus, antecedit, si tamen pro omnibus passus, si non negas pro omnibus mortuum, si cum Apostolo asseris, quod omnes homines vult salvos fieri.* Age nunc, tolle te à generali gratiâ, ad specialem accede, & similiter cum Apostolo clama: *Non omnis generaliter homo salvus erit.* Scripserunt iste à nonnullis perperam asseritur vixisse ante exortas de prædestinatione controversias, cum tamen hæresis Prædestinatorum palam mentionem faciat; idem enim in psal. 108. scribit: *Nota ex arbitrio evenisse, ut nollet, propter hæresim, quæ dicit Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem.* Cæterum hic Arnobius non obscure Semipelagianum se prodit, nam in psal. 90. ubi plura dixit, quæ expendere non vacat, addit: *Latus sinistrum, quod noluit nominare, liberum arbitrium est, contra quod minor pugna laxatur.* In dextrâ autem Dei auxilium est, & ideo prius nominavit latus, quia in arbitrio est, ut credas prius, ut dum credideris, gratiam consequeris. At hic Arnobius strenuum invenit advocatum; nam Vossius lib. 1. Hist. Pel. c. 17. ait, alibi ab Arnobio poni generalem gratiam omnem voluntatis actum antecedentem, dein ipsam motum bonum voluntatis, tandem gratiam, quæ hæc consequatur, quam nostri Theologi justificantem dicunt. Sed audiamus Arnobii verba, nam mallet non modò hunc, sed neminem extitisse nunquam, vel modò extare Semipelagianum, non quòd ab ipsis Augustino meo quidquam timeam, sed quòd optimorum ingeniorum vicem etiam, atque etiam doleo: *Obicitur hoc loco, inquit, Nos hoc*

ita dicere, ut videamus hominis voluntatem ostendere, quod Dei gratiam antecedit. Nolebant homines isti videri in hac esse sententiâ, quæ superbiam oleret maximam, quasi priores ipsi, quæ salutem spectant, operarentur, quod tamen post Sanctum Augustinum ejusdem discipuli acerrimè contrâ ipsos urgebant, at per calumniam hoc sibi opponi respondebant, cum reapse afferent à divinâ gratiâ humanam voluntatem semper in negotio salutis præveniri. Juvat tamen iterum ab eodem eo ipso loco audire, quam gratiam intelligat: *Vigilanter, inquit, age, & non calumniosè, & vides gratiam Dei generalem super omne hominum effusam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffusa; Descendit de cælo Deus, homine non volente; docuit exemplo, & verbo, homine non rogante; signa multa, & virtutes ad se manifestandum exercuit, homine etiam prohibente; mortalitatem nostram suscepit, homine ignoro ante; irrisus, crucifixus, inter homicidas mortuus, sepultus, resurrexit, & in cælos ascendit; Hæc omnia ad hominis salutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Christus, & postea: Ostendimus tibi, antecedit gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem.* At quid sunt omnia ista, nisi extrinseca quædam gratia fidelibus, atque infidelibus communis, cujus pallio vel ipsius divinæ hostis gratiæ Pelagius hæresim voluit obducere, dum in lege, exemplo, & doctrinâ Christi gratiam collocavit, contrâ quem toto conatu Sanctus Augustinus in lib. de Gratiâ Christi à cap. 10. decertat. Afferenda enim est præter illa extrinseca Dei beneficia gratia intus excitans, quâ ad credendum legi, exemplis, ac miraculis moveamur. Eo etiam pacto Faustus excitari à divinâ gratiâ hominis arbitrium fatebatur, sed illa gratia erat tantum extrinseca ex Pelagianâ officinâ asportata. Verba Faustii sunt lib. 1. cap. 27. *Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi scripturarum consolationibus excitare; inceptationibus deterere, desideranda proponere, intentare merceda, judicium comminari, præmium polliceri? Quem dicendi modum impugnat laudatus Augustinus cap. 14. Insuper Arnobius, & Faustus sibi concinunt; ille enim in psal. 46. ait: Non enim prius baptizaris, & sic velle incipis credere, sed prius voluntatem tuam perfectam exhibes sacerdoti, & confessionem tuam tuis labiis pandis, & ita demum ad gratiam, ut consequaris, attinges, quam consecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo, & desiderando consecutus es; Ille verò lib. 2. cap. 8. ait: Vides, quia non tribuitur munus salutis, nisi prius interrogetur desiderium voluntatis, sed & cum venerit ad baptismum prius accedentis voluntas inquiritur, ut regenerantis gratia subsequatur, & in Centurione Cornelio, quia præcessit voluntas gratiam, idè prævenit, & gratia regenerationem.* Quod ipsum de Cornelii fide Semipelagianorum Pater Cassianus olim docuerat Collat. 13. cap. 15. omnes verò simul damnavit Arausiana Synodus post canonem 25. Hæc fusiùs de isto Arnobio adnotavi, ut palam fiat, ejus sæculi Scriptores, qui contrâ Prædestinatos se stare profitebantur, puros putos Semipelagianos fuisse, qui Sancti Augustini defensores invidioso Prædestinatarum nomine onerabant.

At ex Faustii libris, & Epistolâ ad Lucidum, & hujus palinodiâ Prædestinatorum non modò nomen, sed & dogmata grandioribus veluti tibi insonuere. Lucidus ex Synodi præscripto hosce errores damnat in libello ad Gallicanos Episcopos transmissò: *Proinde, inquit, juxta prædicandâ statuta Concilii damno robiscum sensum illum, qui dicit:*

1. Laborem humana obedientiæ divinæ gratiæ nos esse jungendum.
2. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.
3. Qui dicit, quod Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute suscepit.
4. Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod Dei pereant voluntate, qui pereunt.
5. Qui dicit, quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit.
6. Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

Gennadius Massiliensis in Catalogo Hieronymiani de hæresibus appendice sic errores eorum proponit.

1. Prædestinatio sunt, qui dicunt, quod Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus.
2. Quod etsi generali prædicatione dicat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem.
3. Sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequenti in bono opere perseverantiam, sed post multos labores, & justitiæ fractus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas ei vires agendi, ne perdant in bono.
4. Et è contrario illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidiâ, vel in omni genere peccati longo tempore volentur, accepturos occasionem, quâ & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem iustorum.
5. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat.
6. Quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona opera rejiciat, & compellat in malum, quod pereant in æternum.

Matth. II.

Verum hæc duodecim dogmata, quæ à Prædestinatio asserta volunt, sunt illa ipsissima objecta, quibus olim Massilienses Sancti Augustini sententiam de prædestinatione gratuitâ gravabant, quod eandem in invidiam, imò odium, atque detestationem traherent. PRIMA sanè Lucidus propositio à Sancto Prospero non recitatur, ad gratiam enim, non ad prædestinationem pertinet; cæterum Sanctus Augustinus lib. de Dono persever. cap. 14. & 15. clarè ostendit, nostrum laborem divinæ prædestinationi jungendum: reliquæ habentur apud Prosperum inter objectiones Gallorum, & Vincentianas, quod breviter ad oculum demonstro. SECUNDA est. *Post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Et hoc Galli objiciebant ex Augustini doctrinâ sequi: *Quod liberum arbitrium in homine nihil sit.* cap. 6. TERTIA habetur cap. 9. & 1. objectionum Vincentianarum: *Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.* QUARTA est objectio cap. 1. Gallorum: *Quod ex prædestinatione Dei velut fatali necessitate homines ad peccata compulsi cogantur in mortem,* quæ repetitur rursus ibidem cap. II. QUINTA est objectio cap. 2. eorundem: *Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat baptismi gratia originale peccatum.* SEXTA fuit celebris objectio Semipelagianorum teste D. Fulgentio lib. 1. ad Monimum c. 3. cujus verba superius laudavimus. Faustus etiam lib. 1. de Grat. & lib. arb. cap. 4. ait: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt, est deputatus, sicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicati, quam objectionem diluit Prosper. in Resp. ad 15. Gallorum.* Rursus dogmata Prædestinatarum,

N prout

prout à Gennadio referuntur, in terminis habentur itidem in objectionibus Vincentii, & Gallorum. PRIMA thesis est objectio Gallorum cap. 13. *Quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.* SECUNDA est objectio ipsorum Gallorum cap. 5. *Quòd qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati, sed alii ut crederent, alii ut non crederent.* TERTIA est objectio Vincentii cap. 13. & Gallorum cap. 12. *Quòd quibusdam vocatis, & piè, justèque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* vide cap. 3. QUARTA unà cum superiori habetur apud Sanctum Augustinum cap. 15. de Dono persever. ubi Massiliensium querelas, quibus ipsius de perseverantiâ, & prædestinatione sententiam arguebant, refert his verbis: *Veruntamen, si qui estis necdum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, quâ velitis, & sitis electi; Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* QUINTA est objectio Gallorum cap. 4. *Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam.* Item apud Vincentium cap. 39. *Communit: Audent etenim polliceri, & docere, quòd Ecclesia sua id est, in communionis suæ convenculo magna, & specialis, ac planè personalis quædam sit Dei gratia; undè sunt illa Sancti Doctoris Epist. 105. Quòd personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quòd sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quem vult religiosum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pena damnato, indebita gratia liberato.* ULTIMA thesis est eadem cum textâ Lucidi, & habetur cap. 1. Gallorum & 14. Vincentii: *Quòd pars magna Christianorum Catholicorum fidelium, atque sanciorum, quæ ad ruinam, & perditionem prædestinata est &c.*

Ex his ad oculum patet prodigiosa illa, atque horrenda paradoxâ, quæ Prædestinarianæ sectæ propria esse dicuntur, esse eandem omnino sententiam, quas Massilienses à Sancto Augustino traditas fuisse calumniabantur, ut inde plurimorum opinio derivavit, nullos unquam fuisse tales hæreticos, sed sub Prædestinatorum nomine Augustinianæ doctrinæ defensores accusari. Illa sanè effata quæstioni locum dedere, quòd possunt in varios sensus distrahi, juxta quorum intelligentiam eadem recipienda, vel reprobanda judicantur. PRIMA ait: *Laborem humanum gratiæ non jungendum.* Si velit hominem non posse suis viribus petere, querere, pulsare, nec ullâ humani arbitrii industria adlaborare, ut primam gratiam demereat, est Catholicorum sententia in Arausicanâ Synodo can. 6. statuta, & opposita est damnata Semipelagianorum opinio. Si verò velle, hominem post acceptam gratiam sanctificantem debere ociosam, ac desidem vitam vivere, nec precibus, nec orationi vacare: Errorem patentissimum præsert. ALTERA est: *Post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Si intelligatur extinctum ad bonum faciendum sine gratiâ ex meritis Servatoris Domini, est Arausicana sententia can. 13. & 22. Si verò contendant, ita esse extinctum, ut nec in bonum opus nullâ ex parte vitiatum possit unquam assurgere, Lutheri intolerabilis stultitia est. TERTIA succedit: *Christum non esse mortuum pro omnibus.* Si explicetur, ita ut omnes homines reapse futuri sint participes gratiæ datæ per Christum, non universè vera judicatur; etenim plerique nec infirmi subfellii, parvulos in uteris matrum decedentes nullam Christi gratiam participare existimant. Si verò meritis infinitis Sanguinis

Christi, vel humanæ ejusdem voluntati omnes salvari cupienti derogare velit, prorsus rejicienda est. QUARTA additur, nempe *Deum compellere ad mortem.* Si intelligitur mors animæ, quæ est peccatum, hæresim sapit; si verò significetur secunda, quæ est perpetua afflictio animæ in barathro, Catholicum dogma est, quod propugnat Sanctus Fulgentius toto libro 1. ad Monimum, & Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epistolis. Quod additur, *ejus voluntatis esse, ut homines pereant,* eandem interpretationem suscipit, vel ut ajunt Scholastici, non positive id velle, sed negative, nempe quia non dat auxilium efficax perseverandi, sine quo homo perit. QUINTA hæc propositio recensetur: *Quòd post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit.* Si ita accipiatur, ut in renatis aliquid culpæ originalis remaneat post baptismum, est hæretica propositio. Si verò intelligatur remanere concupiscentia ex peccato originali derivata, quæ homines ad peccandum impellat, & ex originali eodem delicto dicatur Deus specialia quædam, & congrua auxilia negare, est propositio vera, & quoad priorem partem statuta in Tridentinâ Synodo in decreto de peccato originali. SEXTA denique propositio: *Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos,* eodem modo ac quarta thesis proximè recitata explicanda est.

Jam illius controversiæ solutio aperitur, nempe fuerint-ne qui memoratas theses in damnato illo sensu defenderint? Si enim quosdam fuisse constiterit, Prædestinianos quoque hæreticos extitisse apparebit; sin minus tales inventi fuerint, injuriæ, atque ignominia nomen erit, quo Semipelagianum Augustinianos onerare per calumniam consuevere. Ego quidem tempore Prosperi nullos fuisse Prædestinianos arbitror, nemo enim horrida illa dogmata tunc defendebat. Sanè nunquam Prosper illa à quopiam defendi insinuavit, sed à Semipelagianis esse illas sententias concinnatas, & publicatas asseruit, quòd Sancti Augustini, & sectatorum de prædestinatione doctrinam in bonorum omnium detestationem traherent. Hinc Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. testatur, Sanctum Prosperum diluisse ea, quæ Beati Augustini dictis non ex veritate, sed ex livore obiciebantur. Dum video Prædestinianos nomen publicari à Fausto, ab Arnobio, à Gennadio, quos Semipelagianos fuisse certum est, id ultioni datum puto; uti enim Prosper adversarios modò Pelagii reliquias, modò Ingratos, quòd contrà gratiam stabant, ignominia causâ nuncupabat, ita etiam illi, ut pares vices redderent, Prosperum, ac sectatores Prædestinianos dicebant. Cæterum fieri potuit, ut nonnulli rudioris intelligentiæ ea dogmata vel omnia, vel aliqua etiam juxta rejectum à nobis sensum propugnarent, sed hos nec eruditio, nec numerus condendæ sectæ pares faciebat; hoc ex Epistolâ Lucidi patet, qui illis erroribus se adhæsisse ore proprio fatetur. Profectò insequenti sæculo Monimus quidam Afer capitale dogma, quòd Prædestinianos fuisse dicant, nempe homines à Deo ad peccata prædestinatos, tenebat. Testem hujus idoneum habemus Fulgentium lib. 1. ad eundem Monimum cap. 3. *Hic dicta, inquit, Sancti Augustini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens literarum, dicis, sentire me jam, cur iterum hæc inculces, scilicet quòd sæpius reluctanti te mihi prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo, dum in malo prædestinationem te relegisse diceres. Ipse docens a sebam, ad penam debitam, non ad malum*

lum faciendum posse dici aliam prædestinationem, quod etiam tu, sicut scripsisti confirmas. Scire te tamen asseris, quid & hic respondeam, ut tuear sententiam meam, hoc est, interitum non dici nisi mortem. Et adjungis, interim legiste te hoc, & adseverasse etiam prædestinatum populum ad interitum. Rursus Prædestinatiani nihil libero arbitrio reliquum fecisse dicuntur, & in hac sententiâ quosdam fuisse testatur idem Fulgentius lib. 2. de Verit. Prædest. & grat. Veruntamen, inquit, quia plerosque novimus in questione gratiæ Dei, & humani arbitrii non tenere discretionem, sed ita unum asserere, ut alterum nitantur auferre, cum gratia pietatis neutrum negari sinat &c. Itaque plures teste Fulgentio ita omnia ad gratiam referebant, ut anfati nihil libero arbitrio adnitendum putarent, sed omnia à superis aperto ore expectanda somniarent.

Accedit, Semipelagianos, qui Augustini sententiam impugnabant, fuisse acerrimi, & acuti ingenii; bona ingenia eos dixit Augustinus cap. 20. de Prædest. Sanctorum. Cassianum, Hilarium, Vincentium quales, quantivè fuerint ex eorum libellis metiri abundè possumus. Quare cum isti subtilia argumenta contra Augustinianæ sententiæ professores exererent, fieri potuit, ut eisdem minùs illis in questionibus versati, succumberent, atque ad paradoxa, & absurda dogmata concedenda cogerentur. Erat Augustini sententia, peccatum originale causam fuisse reprobationis hominum: Illi urgebant, reprobari plerosque baptizatos, atque adeo si eorumdem reprobationis causa foret originale peccatum, istud minime illis fuisse in baptismo condonatum; hinc fieri potuit, ut nonnulli eâ viâ evaderent dicentes: Quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur, qui cunque deliquerit, ut dicebat Lucidus, vel quod in objectione Gallorum legitur cap. 2. Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat baptismi gratia originale peccatum, quod argumentum plures Theologi etiamnum contra Sancti Augustini sententiam intorquent, ut dicemus in Vindiciis August. cap. 4. §. 10. idem etiam contra Prædestinatianos suos Faustus lib. 1. cap. 15. pluribus inculcat. Cæterum homines, qui damnata illa dogmata tradiderint, adeò obscuri nominis fuisse existimo, ut an verè tales quidem fuerint, apud doctissimos dubium evaserit. Hinc in Synodo Arausicanâ post canonem 25. hæc legimus: Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Si autem plures reapse illo in errore fuissent, ac secta non infrequens eam thesism defendisset, haud ita dubiè Patres locuti fuissent, sed eos absolutè damnassent, cum verò de illis dubitanter locuti sint, adeò viles, ac paucos fuisse crediderim, ut ne extare quidem in Orbe judicarentur. Hinc factum est, ut cum Hincmari factio anno circiter 850. Prædestinatianam hæresim adversariis in faciem veluti illideret, Patres qui eidem resistebant, hanc hæresim aliquando fuisse negarent. Sanctus Prudentius Episcopus Trecentis in libro contra Jo. Erigenam cap. 4. ait: Tertiam verò hæresim, quam Pelagianis contrariam asseris, quâ ita donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audimus. Et postea: Nescio quem elogio tertiæ tuæ hæreseos denotare volueris, nisi Beati Augustini dictorum, quæ præmissimus, imò Catholicorum omnium fideliter, veraciterque sequaces. Idem omninò sensus fuit Sancti Rhemigii cum Ecclesiâ suâ Lugdunensi in libro contra eundem cap. 4. ubi ait: Secunda hæresis dicit esse

solius gratiæ; Quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicaverit solâ Dei gratiâ hominem salvari, ut liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium, nobis minime compertum est. Postea: Quæ est ista secunda hæresis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia, ut nobis videtur, disputator iste vel Beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat. Hi Patres non modò nullam unquam talem hæresim extitisse tradunt, sed per calumniam tantum inventam esse pronunciant ad Augustinianam doctrinam de gratiâ, & prædestinatione vituperandam. Sed, uti dixi, fieri potuit, ut cum Semipelagianii Doctores contra Sanctum Augustinum argumentantes ea dogmata ex ejusdem doctrinâ veluti absurda inferri contenderent, quidam pinguioris Minervæ homines ea ipsa devorarent, cum tamen, viri docti ex responsionibus Prosperi objecta illa resellerent. Quare Prædestinatiani, si qui fuere, de ultimâ plebe, & quos fundandæ sectæ haud pares dixeris, fuisse non dubito, qui cum optimè sentirent de prædestinatione cum Augustino, adversariorum argumentis ad illa absurda admittenda cogebantur, ut non spontè, sed veluti adaçti ea sensisse credendi sint; undè Semipelagianii superbie eadem de illis publicaverunt, quò sententia de prædestinatione gratuita ab scholis penitus eliminaretur. Hæc quidem sit nostra de Prædestinatiana hæresi opinio.

Et hæc quidem sententiâ de Prædestinatianâ hæresi statutâ, de Faustii Epistolâ ad Lucidum, ac utrâque Synodo Arelatensi, & Lugdunensi nostrum quoque judicium ferendum est. Scripsit Faustus ad Lucidum Epistolam, ut eundem ab erroribus, quorum delatus fuerat, revocaret, in cujus exordio hæc præfatur: Grandis charitas est, parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium, & gratiam magis velle curare, quam sicuti summi Antistites meditantur à bonitate suspendere. Ex quibus deduco, Lucidi errores Gallicanis Episcopis innotuisse, undè & Ecclesiasticis censuris contra eundem uti meditati fuerant. At Faustus meliora de Lucido promittens, atque ejusdem corrigendî sibi onus assumens Patrum sententiam suspenderit. Quare in eisdem literis sex illi asserta damnanda proposuit, quæ superius recitavimus. Ibidem verò quo illi metum incuteret, hæc eidem interminatus fuit: Hujus autem Epistolæ exemplar mecum revineo in conventu sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Et postea: Quod si eam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, apertè adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis, ac proinde jam necessitatem mihi facies, ad personam tuam publicis conventibus exponendam. Circumfertur hæc Epistola ad Lucidum cum subscriptionibus plurium, & quidem insignium Galliæ Antistitum, nempe Auxanii, Faustii, Pauli, Eutropii, Pragmatii, Patientis, Euphronii, Megetii, Claudii, Leucadii, & Juliani. At Canisius unum Faustum in ejusdem subscriptione recitat, ex quâ variatione eandem Epistolam uti commentitiam Maguinus explodit. Sed utrumque exemplar germanum est; nam initio quidem Faustus Epistolam à se tantum subscriptam ad Lucidum misit, cui cum Lucidus, te eandem Epistolam approbare rescripisset, quò ejusdem correctio celebrior fieret, curavit, ut in illorum Patrum conventu unâ cum his ipsis memoratas literas subscriberet; hinc factum est, ut in quibusdam exemplaribus post XI. illos Episcopos Lucidus subscriptus legatur. Vossius lib. 7. Hist. Pelag. c. 48. cui consentit Ludovicus Cellotius lib. 2. Historiæ Gotteschalci c. 4. aliique, existimavit Faustii Epistolam

subscriptam fuisse in Synodo Arelatensi contra Prædestinatianos teste eodem Fausto celebratâ, in qua XI. illi Episcopi federint. Hæc tamen procul à vero sunt; etenim si in Synodo Arelatensi literis Fausti ea subscriptio addita fuit, cur Leontius Episcopus Arelatensis totius coniectus Præses, ac per universam Galliam Apostolicæ Sedis Vicarius eandem non subscripsit? Celebris est Hilari Papæ Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ, & secundæ, & Alpium Apenninarum, in quâ hæc injungit: *Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium, ita ut opportunitatis locis, atque temporibus secundam dispositionem fratris, & Coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur.* Cur ergo Leontii nomen illis in literis desideratur, qui tamen Præses primo loco nominandus erat? Respondet Vossius cap. 50. Auxanium, qui prior subscriptus legitur, fuisse id temporis Metropolitanam Arelatensem: *Nobis sanè, inquit, verisimile sit, post Ravennium Auxanium, post illum Eonium Arelatensi Ecclesiæ præfuisse.* At labitur vir eruditus, nam inter Ravennium, & Eonium Leontius Arelate sedet, quod non modò ex memoratis literis Hilari Papæ, verum etiam ex Epistola Ruricii Episcopi Lemovicensis ad Eonium Arelatensem aperte intelligitur, in quâ hæc illi scribit: *Agnito transitu sancti & venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri Leontii animo, & mente confusus diu, multumque tristatus sum.* Lib. 1. Epist. 15. Ille autem Auxanius non fuit Episcopus Arelatensis, sed unâ cum Fausto ad Hilaram Papam legatus ex Galliâ venit, idem etiam lites habuit cum Ingenuo Ebredunensi de jure in Episcopatum Cemeticensem, ut ex Epist. 4. Hilari liquet.

Ex his patet, memoratam illorum XI. Episcoporum subscriptionem non spectare ad Synodum Arelatensem, sed peractam fuisse in quodam privato eorundem pro dedicandâ Basilicâ, vel alio nescio quo expediendo simul coactorum congressu. Notarunt autem Baronius ad annum 490. & Vossius horum plerosque à Sidonio in Epistolis laudari. At in eo Vossius erravit, quòd Eutropium, qui quârto ibidem loco recitatur, illum eundem putavit, ad quem lib. 1. Epist. 6. & lib. 3. Epist. 5. Apollinaris scripsit; nam hic Eutropius non erat Episcopus, cum in Epistola illâ sextâ Sidonius illum invitet *ad capebenda militiæ palatine munia*, increpans eundem, quòd procul ab urbanis negotiis vivere destinasset *inter busseguas rusticanos, subulcosque roncantes.* Et in Epistola libri tertii scribit se ejusdem *fascibus gratari*; fuit enim Præfectus Prætorio Galliarum. Baronius etiam, quem Decampsius, & Moraines secuti sunt, plerosque eorundem Antistitum cum iis confundit, qui in sequenti sæculo florere in Synodo Epaunensi. Pragmaticus ab illo statuitur Augustodunensis Episcopus, cujus festa dies agitur X. Kal. Decembris. Claudius putatur Bisuntinus Episcopus, cujus memoria die 6. Junii in Martyrologio recolitur. Julianum verò arbitratur fuisse Antistitem Carpentoratensem, & hi omnes Epaunensem Synodum subscripsere, quam idem Cardinalis celebratam putat anno 509. Cæterum cum Concilium Epaunense peractum sit anno 517. ut ex hac subscriptione Sancti Aviti Viennensis patet: *Avitus subscripsit die XVII. Kal. mensis VIII. Agapto V.C. Cos. qui cum Anastasio Aug. IV. anno 517. consulatum gessit, palam sit, Episcopus, qui Fausti literas subfigurarunt tempore Leontii Arelatensis, di-*

versos fuisse in iis, qui Epaunensem Synodum habuere. Et quidem Augustoduni non Pragmaticus, sed ejus decessor Euphronius sedebat, & septimus eandem Fausti literas subscripsit, cujus etiam Epistola anno Imperatoris Valentiniiani XXVIII. datâ ad Agrippinum meminit Idatius in Chronico. Patiens fuit Episcopus Lugdunensis, ad quem extat Sidonii Epistola 12. lib. 6. Ad Pragmaticum ibidem Epist. 2. & ad Megatium lib. 7. Epist. 3. recitantur. Pauli verò, & Eutropii meminit Hilarius Papa in titulo literarum ad Episcopos Galliæ. Julianum illum fuisse puto, cui Pomerius tres de vitâ contemplativâ libros inscripsit. Claudii, & Leucadii nulquam mentionem factam legi, præterquam in epigraphe literarum Lucidi, de quibus proximè dicemus.

Interim Lucidus, cum passim in Galliâ uti pravorum dogmatum professorem se traduci intelligeret, quòd samæ suæ consuleret, palinodiæ libellum contexit, quem ad Episcopos Gallicanos tranmisit, quorum nomina in epigraphe recitantur. Hos inter leguntur Leontius Metropolitâ Arelatensis, Sanctus Patiens Metropolitâ Lugdunensis, & Mamertus Metropolitâ Viennensis. Hæc autem Lucidus præfatur: *Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est, undè & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excitem, & salutiferâ professione me diluam.* Proinde juxta prædicandâ recentia statuta Concilii damno vobiscum &c. Cellotius scribit hunc retractationis libellum missum fuisse à Lucido ad Patres Synodi Lugdunensis, quæ in eadem causâ post Arelatensem habita fuit teste Fausto in præfatione ad Leontium. Sed res mihi incerta est, & potius ad Arelatensis Concilii Patres Lucidus videtur eas literas destinasse, hæc enim Synodus à Leontio contra Prædestinatianos coacta fuit: audiatur Faustus: *Quòd pro sollicitudine pastoralis beate Papa Leontii in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis &c.* Et postea: *In quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.* Quare cum Faustus laudet Synodum summorum Antistitum Arelate à Leontio peractam pro Prædestinatianis extirpandis, ad illius Synodi Patres Lucidus scripsit, quorum sententiâ errores Prædestinatianorum damnati fuerant. De tempore horum Conciliorum non una est Scriptorum sententiâ; nam Baronius ad annum 490. & Synodos, & universa eâ in causâ à Fausto scripta recenset. Vossius toto cap. 50. memorato versat se, ac vèxat, ut utriusque Concilii tempora statuât, ac denique re infectâ concludit: *Ergo inter annum 472. & 494. Concilium utrumque peractum est.* Attamen certum est antè annum 494. laudatas Synodos habitas fuisse, cum id temporis Ludguni sederet Rusticus, qui Epiphanium Ticinensem ad Burgundionum Regem legatum excepit; tempore autem earum Synodorum Patiens Lugdunensem cathedram tenebat, inter quem, & Rusticum in Martyrologio Saullati Lupicinus, & Africanus interponuntur. Massiliæ anno 464. sacra administrabat Eustasius, seu Eustachius ex literis Hilari Papæ ad Episcopos Galliæ eo anno perscriptis, cui successit Græcus ex Sidonio lib. 7. Epist. 2. At Græcus ex tabulis Sammarthani antè annum 480. decessit, cum eo anno ibidem Cannatus Massiliensium Episcopus asseratur. Anno 494. ejusdem urbis Episcopus erat Honoratus ex Gennadio in calce sui catalogi de Scriptoribus Illustribus. Si mundus putat, relatas Synodos peractas fuisse circa

circa annum 475. quæ opinio cæteris probabilior est, tunc enim ex literis Sidonii Patiens, Græcus, alique, qui in epigraphæ literarum Lucidi leguntur, vivebant. Laudatus Gilbertus Maguinius utramque Synodum Arelatensem, & Lugdunensem fœditas asserit, itemque Lucidi Epistolam, contendens, omnia hæc subdola Fausti Rejenensis arte composita, quod Sancti Augustini doctrinam sub nomine Prædestinatianæ hæresis à Synodis Gallicanis damnatam vendicaret. Sed his nunquam assentiar; quis enim de Fausto tantos sibi dolos perfudeat, qui coram universis Galliarum Episcopis tantorum mendaciorum architectum se fistere non extimuerit? Quo animo Leontio Metropolitanæ doctissimo imponere ausus fuisset, quasi de remotissimis Asiæ rebus perscriberet, non verò de iis, quæ in duabus nobilissimis urbibus nudius tertius gesta fuerant? Opponit Maguinius nusquam, præterquam in Faustii libris illarum Synodorum mentionem fieri. At hoc negantis argumenti genus lubricum est. Scimus, Leontium Arelatensem ex Hilari decreto superius laudatæ Synodos Gallicanas quotannis coegisse, quarum tamen nusquam memoria extat. Apologistæ Jansenii utramque Synodum habitam fuisse concedunt, addunt tamen eas conflatas ex Episcopis partim Semipelagianis, partim à Semipelagiano Fausto deceptis. Sed sine testibus hanc injuriam doctissimis, ac sapientissimis Patribus inurere non ausim. Illud verisimile videtur, Faustum mandati limites excessisse, dum non modò quorundam Prædestinatianorum errores, ut injunctum fuerat, confutavit, verum etiam eâ occasione Sancti Augustini de gratuitâ prædestinatione doctrinam subruere conatus fuit.

CAPUT XVI.

Gennadius Massiliensis Semipelagianus. Moritur Faustus Rejorum Episcopus, de quo aliorum judicia expendantur.

^{Anno}
^{490.} **C**assiani doctrina hoc sæculo serè exente strenuum nacta est laudatorem Gennadium Presbyterum Massiliensem, qui in suo libro de Illustribus Scriptoribus Semipelagianos laudibus, Augustinum verò, ejusque defensorem Prosperum dicitur excepit. Etenim cap. 63. ubi de Eucherio: *Sed & Sancti*, inquit, *Cassiani quædam opuscula lato tenfa sermone angusto verbi resolvens tramite in unum coegit volumen.* Prosperum verò à Cœlestino Papâ olim commendatum eidem Catalogo inferens cap. 84. quasi per contemptum: *Prosper*, ait, *Homo Aquitanicæ Regionis.* Deinde illum ut publicum alienæ famæ demuntorem accusans addit: *Legi, & librum adversus opuscula sub personâ Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.* Ubi Vincentius Lerinensis vocavit Prosperum criminatorem, hic eundem infamatorem ignominie causâ vocat. Rursus cap. 85. de libris Faustii Semipelagianis erroribus scitentibus ita judicat: *Edidit quoque opus egregium de gratiâ Dei.* Undè ex Semipelagianorum laude, ac Prosperi reprehensione fuisse illum Semipelagianum, nullus jure inficias ibit. Sed nec veritus est errorem, tantumque non hæresim Magno Augustino impingere, dum cap. 38. hæc de illo Sanctissimo Doctore scripsit: *Catholicus permansit tamen, & error illius sermone multo, ut dixi, contractus lucet à hostium exaggeratus necdum hæresis questionem dedit.* Quibus verbis Sancti Augustini de prædestinatione sententiam citrà dubium fugillat. Etenim aliquam Augustini sententiam uti erroneam

traducit, & hanc lucet à hostium exaggeratam dicit, quod de nullâ ejus sententiâ adversus Pelagianos propugnata dici potest; nam tunc Gennadius Pelagianum aliquod dogma tanquam veritati consonum adstruxisset, cujus oppositum erroris inibi insimulasset. Igitur de prædestinatione gratuita id accipiendum venit, cum contra illam initio omnes ferè in Galliâ conspirassent, undè lucet eorundem errorem exaggeratum pronunciat. Non tamen tradit eam opinionem tanquam hæreticam proscripam, cum plerique eandem tuerentur. Gennadio concinit Faustus in Epistolâ ad Græcum dicens: *quid apud doctissimos in Augustini scriptis esse suspectum.* Ita illi eandem tibiam contra Augustinum inflant.

Florebat tunc Massiliæ Honoratus Episcopus, qui in Gennadii Catalogo Scriptorum agmen claudit; hunc in eadem sententiâ cum Gennadio fuisse suspicor, quòd in libello de Vitâ Sancti Hilarii Arelatensis c. 3. scribit: *Emenso biennio cum ad MERITI PROPRII percipiendum EX MERITO præmium ex vitæ hujus cursu Beatus Pontifex vocaretur Honoratus.* Ut quid enim toties meritum in eodem versu, & quidè proprium inculcat, nisi ut ex meritis prædestinatio divina suspendatur? Hinc factum est, ut paulò post Cassiano, ac Fausto à Gelasio Papâ in Romanâ Synodo damnatis, uterque, Honoratus scilicet, & Gennadius libellum fidei Romam mittere coacti sint, quo à Semipelagianorum sententiâ proci se esse monstrarent. De Honorato hæc scribit Gennadius: *Sanctus quoque Papa Gelasius Romana Urbis Pontifex per scripturam agnoscens ejus fidei integritatem rescripto suo probatam judicavit.* Gennadius verò, quòd ob laudes Semipelagianorum malè audiebat, fidei libellum, & ipse Romam ad eundem Pontificem deferendum curavit. Hinc cap. ult. ait: *Et opus de fide meâ misi ad Beatum Gelasium Urbis Romæ Episcopum.* Ita enim legendum tradit Vossius lib. 1. cap. 10. Hist. Pelagianæ, non verò uti communiter ponitur, & hoc opus de fide meâ, nam pronomen HOC non potest denotare librum de Scriptoribus Illustribus, neque enim ille est liber de fide. Porro hunc librum putant illum esse, qui inter Opera Sancti Augustini Tom. 3. circumferitur sub titulo *De Ecclesiasticis dogmatibus*; Gennadio enim adscribitur ab Hadriano Papâ in Epistolâ ad Carolum Magnum, ubi Gennadium, & Sanctum, & Episcopum Massiliensem dicit. Antequam tamen de hoc libro judicium feram, adverto, Gennadium duo illa capita nempè 99. & 100. ubi Honorati, ac sui ipsius librorum mentionem facit, addidisse post factam Romæ à Sancto Gelasio Cassiani, ac Faustii proscriptionem, nam ob laudes Semipelagianis datas malè illum audivisse diximus, undè quòd se omni malæ suspicionis onere apud Gelasium exsolveret, unâ cum suo Episcopo libellum fidei transmisit, ejusque mentionem vulgato libro appendicis loco subtexuit, undè in plerisque M.S. codicibus neutrius nomen legitur, ut notat Suffridus in Scholiis ad Gennadium.

Videndum hic est, quo tempore Gennadius hunc librum de Scriptoribus Illustribus ediderit, indè enim nonnullorum dubiorum solutio, quæ infra sunt discutienda, dependet. Baronius ad annum 490. p. 443. ait: *Hoc anno moritur Theodolus celebris in Cæsaryiâ scriptor, de quo ista Gennadius: Theodulus Presbyter in Cæsaryiâ scripsisse multa dicitur &c. moritur hic scriptor ante triennium regnante Zenone: Hæc Gennadius post tres annos ista scribens.* Itaque Baronio teste librum de Scriptoribus Illustribus scripsit Gennadius anno 493. Benè isthæc se haberent,

si Theoduli mors anno 490. contigisset, atqui hoc incertum est, nec ullum laudat assertorem; nam Marcellinus Comes in Chronico scribit, floruisse Theodulum post Conf. Basilicæ II., & Armati anno 477. Ex Gennadio tantum colligitur, non vixisse post annum 491. quo mortuus est Zeno. Itaque ex eo textu Gennadii habemus, librum de Scriptoribus Illustribus elucubratum non fuisse post annum 494. quoniam non diceret, *antè triennium regnante Zenone*, quo verò ex illis tribus annis emissus sit, in incerto est.

Laudato libro de Ecclesiasticis dogmatibus infarta sunt plura capita ex Cœlestini, ut putant, Epistolâ ad Episcopos Galliæ, & quod caput est, magna, imò maxima pars Concilii Arausicani, itemque Carthaginensis à cap. 22. inclusivè usquè ad 51. Baronius scribit, nescire se, an ista capita addita fuerint à Gelasio ipsomet Pontifice, vel ejusdem jussu ab aliquo alio. At Gelasius nec per se hoc præstare, nec alteri id ipsum injungere potuit, quippè qui decessit anno 495. addita verò leguntur quatuordecim capita ex Concilio Arausicano, quod celebratum est sequenti sæculo anno 529. Illa ergo additio est longè ipso Gelasio posterior, neque vacat, à quo constata fuerit, divinari. Difficile est, ubi de quopiam sinistra opinio invaluit, eidem integram fidem præstare; hoc Gennadio accidit, qui cum in libro de Scriptoribus illustribus Semipelagianis favorem commodasset, eundem etiam cum illis sentire in hoc posteriori volumine communis opinio est, nam cap. 21. hæc illum scribere opponunt: *Manet itaque ad querendam salutem arbitrii libertas, idest, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. Item: Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est, ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est munus, ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorii &c.* Ex his Ecclesia Lugdunensis jam ab octingentis annis tomo 9. Bibl. Patr. Gennadium Pelagianum dogmati consentientem arguit: *Hominem, inquit, absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello, cui titulus est Dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio, sed omnino, ut alia nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris est. Jansenius etiam Semipelagianismi eundem accusat apud Annatum lib. 7. sui Aug. cap. 2. §. 3. quia ibidem de homine lapsò hæc tradit: Postquam verò seductione Serpentis per Evam cecidit, natura bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Quasi infusæ gratiæ possit homo secundum propriam electionem vel resistere, vel obtemperare, quod Semipelagianum dogma ille pronunciat.*

Mihi horum iudicia non probantur; & in primis minimè Pelagianum est asserere, homini ad salutem obtinendam necessarium esse laborem, si labor non ex solis naturæ viribus, sed ex gratiæ præmoventis virtute prodeat. Vossius cap. 10. lib. 1. Hist. Pelag. ait: *Utrum horum senserit Gennadius, certius statui possit, si ejus adversus Pelagium libri extarent.* Sed patet in eo capite 21. quod Vossius recitat, bis hanc questionem Gennadium solvisse, hæc enim docet: *Ut non labamur in adepto salutis munere sollicitudinis nostræ, & cœlestis pariter adiutorii ut labamur potestatis nostræ & ignavia.* Quam sententiam post quinque verus plenam reddit. At laborem nostrum esse necessa-

rium ad salutem his tradit Arausicana Synodus post can. 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* quæ est ipsa Gennadii sententia. Neque inde Semipelagianus vocari potest, quòd dixit: *Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est.* Nam etiam cum eligimus bonum, præparatur voluntas à Domino; hinc Sanctus Augustinus lib. de Prædest. Sanctor. cap. 6. ait: *Muli audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordiâ ejus, quid de iudicio.* Cui sententiæ Gennadius totus inhæret; etenim cap. 56. paucis verbis denudè plura à se superius dicta repetit, quibus initium salutis, progressum, ac consummationem in divinæ gratiæ virtutem refundit. *Nullum, inquit, credimus ad salutem nisi Deo invitante venire; Nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari. Nullum nisi orantem auxilium promereri; Nullum Dei voluntate pervire, sed permissu pro electione arbitrii, &c.* Loquitur de gratiâ internâ, non de illâ Pelagii, quæ erat lex, & doctrina, nempe de illâ, quæ datur orantibus. Cum de opere pravo differit, id in solius arbitrii electionem rejicit, at dum de opere recto, & sancto, non jam solam electionem ob oculos ponit, sed Deum auxiliantem, & præparantem voluntatem, ut bonum eligat. Et sanè non aliter potuit scribere Gennadius ad Gelasium, quem sciret, Faustum, ac Cassianum reprobasse, quòd initium salutis humanis viribus tribuerant, minusque quam par erat, divinæ gratiæ detulerant: Quare Vossii verbis concludo: *Speramus autem, non improbaturos iudicium hoc nostrum, qui illum animi candorem præstare antiquorum monumentis sciunt, quem ad labores suos censendos à posteritate, modò victurum aliquid scriptis consignarunt, optant adferri.*

Circâ hæc tempora arbitror, Faustum decessisse antè factam paulò post suorum librorum proscriptionem. Attigisse illum imperium Anastasii tradit Maurolicus apud Bollandum ad 16. Januarii. Gennadius, quem scripsisse diximus librum de Scriptoribus illustribus primo Anastasii Imperatoris triennio, cap. 85. de Faustò uti adhuc vivente loquitur, non solum quia quo Principe imperante mortuus sit, non scribit, ut in aliis, sed etiam quia hæc habet de eodem: *Sunt verò ejus, & alia scripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui. Virâ tamen voce egregius doctor & creditur, ET PROBATUR.* Centesimum vitæ annum attingisse ex Sidonio testatur Savaro in notis ad lib. 9. Epist. 9. nam hæc ad Faustum scribebat Sidonius: *Cujus ita dilectis vita, factisque dupliciter inclauit, ut quandoquidem tuos annos jam dexterâ numeraverit sæculo prædicatus tuo, desiderandus alieno utrâque laudabili actione decedas te relicurus extoris, tua proximis.* At ex his verbis tantum annorum numerum non colligi ibidem Sirmondus contendit, de quo alii judicent. Sanè decrepitam Fausti ætatem inde deducimus, quòd anno 433. electus fuit tertius Abbas Lerinensium, quis autem juvenem suffectum paret Honorato, & Maximo tantæ sanctitatis, atque auctoritatis Præfectis? Quare eundem ferè centenarium obiisse arbitramur. Ufus est prosperâ valetudine, ad eum Sidonius in laudatâ Epistolâ scripserit, mirari omnes, quòd Faustus non senesceret. Maximâ in æstimatione fuit in uni-

versâ

versâ Galliâ, quod ex superius dictis manifestum est. De illius libris de Gratiâ, & libero arbitrio jam satis abundè diximus. Aliam opinionem, cui obstinatius adhærebat, literis tradidit, nempe nullam creaturam esse incorpoream, undè non unum ob eam sententiam adversarium passus est. Claudianus Presbyter Viennensis Sancti Mamerti frater tribus illum libris confutavit, ut tradit Gennadius cap. 83. licet Faustum non nominet. Gennadius tamen in eadem Fausti opinione videtur fuisse, nam his verbis librum de Ecclesiasticis dogmatibus concludit: *Propter novos legislatores, qui idè animam tantum ad imaginem Dei creatam dicunt, ut quia Deus incorporeus rectè creditur, etiã incorporea anima esse credatur, liberè confitemur, imaginem in æternitate similitudinem in moribus inveniri.* Eundem etiam Faustum Sanctus Avitus Episcopus Viennensis in Epistolâ ad Regem Burgundionum solidè confutavit. Faustum contrâ Arianos scripsisse tradit Gennadius, cuius verba dabo, nam & de libello, vel Epistolâ Fausti, quâ solum Deum incorporeum probat, mentionem ita facit, ut ejusdem opinionem tenere videatur: *Legi ejus & adversus Arianos, & Macedonianos parvum libellum, in quo coessentialem prædicat Trinitatem, & alium adversus eos, qui dicunt, esse in creaturis aliquid incorporeum, in quo & divinis testimoniis, & Patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum* cap. 87. Ex illius libelli contrâ Arianos evulgatione eundem ab Evarico Rege Arianò tunc in Galliis regnante in exilium actum existimo, nam alia me causa latet. Usserius cap. 13. de Antiq. Brit. scribit, Faustum dixisse se in exilio degere, quod homo Britannus apud Rejos in Galliâ Antistes procul à patriâ morabatur. Sed verè extrâ Provinciam se in exilium detrusum non ambigè idem Faustus significat; siquidè Epist. 6. ad Ruricium ait: *Propiti à divinitate in secreto Religionis congruo, & tranquillissimo in silentio constituti, in quo Dominus ad rubiginem longâ securitate contractam salutaris limâ castigationis admonuit. In hac inquam, qui & magnâ si agnoscamus vocatione donati, dum novos ci-ves commercio charitatis acquirimus, præsentis insultamus exilio &c.* Dum fideles famuli Dei in necessitatibus nostris bonitatem suæ devotionis exercent, sinè sede propriâ possessores, sinè possessione divites sumus. Quibus verbis insinuat, se longâ tranquillitate in Episcopatu securum exilii castigatione à Deo admonitum apud viros religiosos se recepisse, quorum pietate, licet propriâ Sede ejectus, plura sibi possidere videbatur. Scripsit in exilio hæc ad Felicem filium Flavii Magni, qui anno 460. consulatum ordinarium gessit: *Magnum pietatis, & fidei testimonium, quod per tantarum vasta intervalla regionum, & per tot rerum interjecta discrimina ad nos usque latitudinem vestre charitatis extenditis. In hac relegatione nostrâ artifex Dei misericordia gemina exerceat officia, nostram excutit paternâ sedulitate rubiginem, & vestram circa nos dilucidat fidem, vestramque adprobat pietatem; Nos elimat benigna solertia.* Ibidem autem gratulatur Felici, quod Arelatenfis Episcopi Leontii institutis, ac præsentia fruatur. Si verò, ut ait Usserius, quod Rejis debebat, exilium se pati diceret, ubinam illa tantarum vasta intervalla regionum, cum alter Arelate commoraretur, nempe utroque in eadem Provinciâ Narbonensi existente? Restitutus est Rejis eo ipso anno, quo Ruricius Lemovicensium Episcopus renunciatus est. Lemovicenses verò Evarico Gothorum Rege Catholicos persequente Episcopo destitutos, novique Pontificis eligendi facultate Regis Imperio privatos dolere se

scribit Sidonius lib. 6. Epist. 6. ad Basilium. Faustus quando à curis animum relaxare volebat, Lerinam repetebat teste Sidonio in Eucharistico.

*Seu te Lirinus priscum complexa parentem est,
Quò tu jam fractus pro magnâ sæpè quiete
Discipulis servare venis.*

Unus eorum fuit, qui pro pace Romanos inter, ac Gothos componendâ insudavit hæc scribente Sidonio ad Basilium lib. 7. Epist. 6. *Tu sacratissimorum Pontificum Leontii, Fausti, Græci urbe, ordine, charitate medius inveniri, per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pax, conditionisque portantur.*

Hanc tamen Fausti gloriam, ingentisque virtutes, quas de illò in fine carminis Eucharistici Apollinaris recitat, nimius propriæ sententiæ amor, atque etiam Augustinianæ doctrinæ impugnandæ libido offuscavit, ipsius libris non semel à Romanis Pontificibus damnatis. Eidem Rejentis aras erexere, ejusque nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ fastis interscriptum fuit. At Molanus è Divorum albo Faustum primum omnium expunxit, cui assensus fuerat Cæsar Baronius, qui postea Rejentis Ecclesiæ testimonio admonitus antiquum Faustò honorem restituit. Illius in Divorum catalogo memoriam unã cum plurimè aliis Sanctis celebrat Bollandus ad diem XVI. Januarii. Dinamius Patritius Rejentis, qui Commentarium scripsit de miraculis D. Maximi ad Urbicum Episcopum Fausti successorem, ipsum Faustum in præfatione *beatissimum Antistitem* appellat. Trithemius in libro de Scriptoribus anno 496. & ex eo Ludovicus ab Angelis Augustiniani instituti vir, ac Doctor Combricensis lib. 5. de Vitâ Sancti Augustini cap. 15. scribunt, Faustum primitus quidè Cassiani errores propugnasse, sed à Sancto Fulgentio Episcopo correctum, nam *ipsemet fuit, inquit Ludovicus, qui postea summopere Augustinianam doctrinam defendit adversus illos, qui Prædestinatorum hæresim ad annos Domini 415. excuscitaverunt.* Hæc quidè undè hauserint nescio; etenim Fulgentius altero post Faustum sæculo vixit, contrâ quem septem etiam libros anno 523. condidit Faustò olim defuncto. Ille verò noster Scriptor Fausti libros nunquam se legisse significat, nam in illis sub alieno corio Augustinus vapulat. Sed nusquam Fausti palinodia apparet; illæ verò sententiæ, quas tuetur, ut sæpè monuimus, poterant id temporis tutâ conscientia defendi, quousque per Arausicanam Synodum, quæ contrâ Semipelagianos celebrata est, damnatæ fuerunt. Hinc colligo, capitula illa, quæ in Epistolâ ad Episcopos Galliarum sub nomine Cælestini publicata sunt, haud illi esse adscribenda, aliàs Cassianus, Faustus, Hilarius, inter hæreticos recensendi essent, quod pluribus ostendam in Vindiciis August. cap. 8.

CAPUT XVII.

Fausti Rejentis, atque Cassiani libri à Gelasio Papâ in Romanâ Synodo damnati. Sancti Augustini nomen, ac doctrina contrâ Pelagianos ab eodem Pontifice defensa.

Fausti mortem paulò post librorum ejusdem per Romanum Præsulem Gelasium damnatio consecuta est, etenim licet ejusdem libri in Galliis, ubi Semipelagiana factio nondum consenuerat, laudatores invenissent, Romæ tamen, ubi purior doctrinâ de gratiâ divinâ fulgebat, in acerrimos accusatores, atque justissimos judices inciderunt, à quibus è Ca-

Anno
493.

tholicoꝝ ſcholis proſcripti ſunt. Priuſ tamen, ut geſtorum ordinem ſequamur, quid contra Pelagianos idem Pontifex ſcripſit, videndum eſt, à quibus tamen, quodd illa paſſim apud alios leguntur, paucis me expediam.

Gelaſius cum accepſiſſet, Pelagianos nova in Dalmatiâ moliri, ne quid eâ in provinciâ res Catholica detrimenti pateretur, ad Honorium Episcopum Salonitanum, is enim erat Dalmatiæ Metropolitâ, literas miſit, queſ admonuit, ut gliſcenti malo occurreret: *Se cunctos*, inquit, *ibidem Domini Sacerdotes fraterno commoneſſe affectu, ut ne recipiant perverſitatem toto orbe damnatam.* Addit deinde: *An forte neſcitis, hanc hæreſim Pelagianam, de qua loquimur, & ab Apoſtolicâ dudum ſede per beatæ mem. Innocentium, ac Zoſimum, Bonifaſium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem continuis, & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam, nec tantum Catholica Eccleſiâ legibus, ſed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec uſquam terrarum vivendi locum ſectatores ejuſ habere ſincerentur.* Poſteâ Sancti Auguſtini contra Pelagianos libros commendans ait: *O ſi ſuaderent adverſus eos majorum noſtrorum libros, reſponſaque cognoſcere, illis modis omnibus cerneretur, nihil eſſe proſuſ, quod ab iſtis non fuerit ventilatum, & ab illis magnificâ veritate contritum, ſicque de cunctis eorum nequitiiſ reſutandis fideles quoque viderentur inſtructi, ut nihil ampliùs quereretur.* Hæ literæ datæ ſunt Albino Conſule nempè anno 493. Honorius hiſ literis acceptis doluit, quodd vel negligentia, vel prodita Catholica fidei inſimulatus fuiſſet apud Pontificem, quare reſcripſit, fictas illas eſſe delationes de Pelagianis Dalmatiam tentatibus, malevolorum invidia id dandum, qui falſis accuſationibus ſuam in perfequendis hæreticis diligentiam coram Apoſtolicâ Sede infamare conati eſſent. At Gelaſius iteratis ad eundem literis miſſis ſignificavit, ſe in hiſce indagandis ſtudioſiorem debere eſſe, non reſmiſſiorem: *Nec intereſt*, ait, *per quos ad aures noſtras eadem perveniſſent, dum quomodolibet iſta referentibus, poſtquam noſtram conſcientiam penetrarent, in hiſ veraciter indagandis paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes, quatenus vel è veſtigio poſſet lupis inſtantibus obviari, vel nullis exiſtentibus ſeris ovium cuſtodia ſecura perſiſteret.* Hæc ille.

Sed propriùs Pelagiana peſtis Italiâ iterum afflaverat, nam Seneca quidam ſenex delirus, ac nullius eruditionis homunculus in Piceno antiquata olim Pelagii dogmata renovabat. Gelaſius pro rei indignitate commotus per Romulum Diaconum ad illius Provinciæ Episcopos literas miſit, in quibus acriter in eorum vel negligentiam, vel conniventiam invectus eſt. Tria præcipuè ſenex ille ex Pelagianâ hæreſi tradebat: Primum, æquum non eſſe, ut pueri, cum nondum quidquam per ſe peccare poſſent, Adæ peccato obnoxii tenerentur. Alterum, eodem ſine ſacro baptiſmate decedentes pro ſolo originali peccato non poſſe damnari. Tertium, Gratiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam, illamque ſecundum meritum hominum conferri. Præterea quodd peſſimo lenocinio ſectam promoveret, congregationes *dedecoroſiſſimas*, ut ait Gelaſius, idem inſtituerat, in quibus homines, ac ſaceratæ Deo Virgines pſalmos canerent, quodd ipſum à ſectæ Magiſtro Pelagio didicerat, qui ſæminis quoque in Eccleſiâ cantum nã cum viris permiſerat ex Hieronymo lib. 1. Dialogorum contra Pelagium. Ille autem eod uſquè veſantiæ abreptus eſt, ut teſte Gelaſio, *Presbyterum ſibi*

non acquieſcentem audire communionem privaret. Itaque ſummus Eccleſiæ Antifteſ perſtrictâ priuſ illius regionis Episcoporum ſocordiâ in Hæreticum, atque aſſeclas hanc ſententiam pronunſiavit: *Nuſquam loci proſuſ inveniatur præſata peſtis aſſertor, nec acceſſum proſuſ Eccleſiæ, vel uſquam participationem Catholicae communionis inveniatur, qui hæreticorum manult ſubſequi neſariâ profeſſione conſortium; & hi, cum quibus antea probabitur noxium miſcuſſe colloquium, niſi reſpiciunt, & ab ejuſ ſocietate diſcedunt ab Eccleſiaſtico remori ſervitio devotâ ultione plectantur, quodd cæteris cavendi miniſtretur exemplum.* Quodd verò idem Seneca Sanctorum Hieronymi, & Auguſtini ſcripta laceſerat, ac mille conviciis proſciderat, idem Gelaſius de utriuſque honore ſollicitus veſanam delirantis ſenis temeritatem hiſce compeſcivit. *Ab hoc majus ſcelus accreſcit, ut ſub conſpectu, & præſentiâ Sacerdotum beatæ mem. Hieronymum, atque Auguſtinum Eccleſiaſticorum lumina Magiſtrorum miſcuſa moritura, ſicut ſcriptum eſt, exterminans oleum ſuavitatis lacervare contenderet:* Verum non ſolum hiſ præconiis Auguſtini nomen decoravit, ſed in iudem literis Sancti Doctoris ſententias penè totas exciſpſit, ut in Vindiciis Auguſtinianis oſtendam. At non modò Epistolis Gelaſius Pelagianam hæreſim proſligavit, ſed librum etiam contra eodem procedit, quem nobis Vaticana ſerinia donarunt, cujuſ eſt initium: *De Pelagianis quiddem ſenſibus, blaphemiſque ſacrilegij & apud majores noſtros tam diſpniſ, quam humanis legibus juſtâ diſcuſſione damnatis nimis eſt copioſa materia &c.* In quo opere probat, neminem poſſe ſuis viribus vivere ſine peccato. Joannes etiam Talaida contra Pelagianam hæreſim apologiam ſcripſit, quam huic ipſi Gelaſio nuncupavit, cujuſ meminit Photius in Bibliothecâ Cod. LIV.

Anno 494. Baronius Synodum Romæ à Gelaſio Anno 494 celebratam dicit, in quâ LXX. Episcopos ſedere, habitaque eſt conſultatio de libris à Catholicis vel legendis, vel rejiciendis. Porro Sancti Auguſtini libri commendati ſunt, itemque Proſperi noſtri Aquitanti, qui Sanctorum Patrum agmen claudit, diciturque honoris gratiâ *vir religioſiſſimus.* Indè cum damnatorum voluminum index texeretur, inter iſta libri Caſſiani, ac Fauſti Rejenſis numerari ſunt, hæc præmiſſâ ſententiâ: *Cætera, que ab hæreticis, ſive ſchiſmaticis conſcripta, vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, è quibus pauca, que ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda, & cum plurimos libros hæreticorum, aliorumque incertorum Auctorum Patres damnaveſſent, hos inter Caſſiani, ac Fauſti volumina poſtere hoc titulo: *Opuscula Caſſiani Presbyteri Galliarum apocrypha. Opuscula Fauſti Rhegienſis Galliarum apocrypha.* Poſteâ etiam Pelagium, Cæleſtinum, & Julianum Eclanenſem eorumque libros, ac ſequaces conſixerunt hæc ſtatuentes: *Sub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum conſitemur eſſe damnata.* Scio, Recentiores quoddam, qui Fauſti vicem dolentes pro eodem apologias enixi ſunt, contendere, Romanam Synodum non damnaveſſe libros Fauſti ut hæreticos, ſed inferioris illos notæ declaraveſſe ab Eccleſiâ Catholica habendos, ſed peſſimam malæ cauſæ advocacionem præſtitam altero libro ſolidè conſutabimus. Hoc primo ictu Semipelagiana factio percuiſa concidit, neque enim impoſterum tutum fuit Caſſiani, ac Fauſti, cuos Synodus damnarat, opinionem tueri. Hiſ accedit, Gelaſium in Epistolâ ad Episcopos per Picen-*

num Semipelagianorum sententiam de fide viribus naturæ prodeunte palam damnasse: *Quid autem, inquit, haberi potest sine gratiâ, cum sit fides ipsa per gratiam eodem Apostolo nos docente: Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem, nec aliud est misericordia divina, quam gratia.* At quod veterem opinionem deponere, atque antiquam scholam deserere difficile sit, sequenti sæculo gravissimis dissensionibus ex Faustii libris exortis univèrsus Orbis Catholicus in partes divisus est.

CAPUT XVIII.

Joannes Maxentius, ac Scythæ Monachi pro Sancto Augustino Constantinopoli contra Faustum insurgunt. Idem Faustus ab Africanis Episcopis, & ab Hormisdâ Papa reprobat.

Sextum sæculum aderat, & exorta de divinâ gratiâ contentiones ex Faustii Rejenſis præsertim libris latius in dies diffundebantur plurimis non modo in Occidente, verum etiam in Oriente Faustum defendentibus, aliis eundem acerrimè confutantibus. Nam licet à Gelasio in Romanâ Synodo ejusdem libri reprobati fuerint, non in Galliâ tantum, sed (quod mirere) etiam Constantinopoli Patronos invenerant, quando ex ultimo Ponto Scythas Monachos divina gratia contra eundem Faustum concitavit, qui ex Asiâ erumpentes contra Rejensem Europam, atque Africanam commoverunt, quæ res à nobis exactè describetur.

Unâ cum Anastasio Imperatore univèrsis diffidiis, quæ Orbem Catholicum diu dilaceraverant, in cinerem redactis Justinus Imperium gubernandum suscepit anno 518. cum repente Monachi Scythæ ingentes turbas Constantinopoli dederunt. Leontius Monachus Vitaliani Ducis affinis cum collegis Religiosis, quos inter eruditione eminebat Joannes cognomento Maxentius, hanc sententiam, *Unus est Trinitate in carne crucifixus est*, omnibus, & credendam, & defendendam ad seditionem usque inculcabat. His acriter resistebat Victor Diaconus, ac plerique alii in eo offensi, quod novam populis thesionem inculcarent, veluti Calchedonenſis Synodi decreta non sufficerent. Neque hic contentio finis; nam cum Faustii Rejenſis Episcopi libri Byzantium delati essent, iidem Monachi illos uti hæreticos damnabant, plurimis eisdem Catholicos adſeverantibus, undè etiam lites in immensum exerevere, ac illæ quidem Principes etiam viros in partes diffraxerunt. Vitalianus Militum Magister, qui postea Consulatum inivit, Monachis impensis quoad illud de *Uno ex Trinitate passo in carne* favebat, Justinianus verò eadem in quæstione Monachis adversabatur, ut ex ejusdem literis ad Hormisdam intelligitur. At cum Anastasius Imperator sacrilegus, atque impius omnia sacra susque, deque vertisset, Justinus, quod Principem Catholicum decebat, per literas cum Hormisdâ Pontifice egit, ut suos Constantinopolim legatos mitteret, turbas ab Anastasio religionis res composituros. Hormisdâ quinque Legatos Byzantium destinavit, qui anno 519. circâ Paschalia festa ad regiam Urbem appellentes ab Imperatore, atque univèrsis civibus honorificentissimè excepti Orientalibus rebus componendis manum statim admoverunt. Monachi Scythæ, quod ab adversariis tanquam Eutychniani per contemptum traduci se intelligerent, fidei libellum Legatis Hormisdæ gravioribus licet negotiis occupatis exhibuerunt, in

quo suam ipsorum de Christo fidem pluribus exponebant. Eò tamen dicta omnia collimabant, ut à Legatis hæc inibi inserta thesionem reciperetur: *Unus de Trinitate crucifixus est in carne.* Postea explicabant, quid de divinâ gratiâ sentirent, hæc præfati: *His ita se habentibus Beatissimi, nunc quid jam de gratiâ Dei, non quâ creamur, sed de eâ, quâ recreamur, & renovamur, sentiamus, breviter exponentes, Sanctitati vestre necessariò credimus facere debere manifestum, eò quod etiam in hac parte inimici gratiæ Dei, id est, Pelagii, & Cælestii sectatores nimium nobis infesti esse videntur.* Contrà verò Faustii sententiam in fine concludunt: *Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, nostrum est velle, Dei verò perficere, cum idemmet Doctor, & velle, & perficere domum vestretur esse divinum.* Legati hæc de rebus nihil se à Pontifice in mandatis habuisse dicebant, imò apertè injunctum, ne aliis se se causis immiscerent, verum coacti Imperatoris intercessione Monachis aures dederunt; ita enim ad Hormisdam de Monachis scripsere: *Petitiones obtulerunt, & coacti piissimi Principis, & Domini Vitaliani Magistri militum supplicatione frequenter ad audientiam cause convenimus, non quasi volentes nos in his negotiis occupare, qui a nobis sunt ante oculos Beatitudinis vestre præcepta, quibus præcepistis, ut cause tantum, cui veneramus intenti nullis aliis negotiis misceremur.* Dat. III. Kal. Jul. Legati illis sapius auditis, unaque cum Victore Diacono alterius factionis primipilo, quod hominum molestiâ se se liberarent, tale denique responsum dederunt: *Quod non est scriptum à Papâ Leone non suscipimus.* Etenim cum in celeberrimâ Synodo Calchedonenſi CCCXXX. Patrum, & in Epistolâ Leonis Papæ ad Flavianum diligentissimè assertum fuisset, quid de Christo Domino sentiendum esset, omniaque illa statuta, quæ Christiano homini credenda forent, novas insuper theses de Christo populis inculcare, & hunc articulum, *Unus est Trinitate crucifixus est in carne*, uti appendicem Synodo adjicere, (ita enim Legati suspicabantur) temeritati, atque insolentiæ proximum judicabatur. Sanè id temporis inter extremos Nestorianorum, & Eutychnianorum errores regiâ viâ incedere adeò difficile videbatur, ut quicquid novi à quopiam asserti à Catholicis audiebatur, alterutri hæresi illud favere existimaretur. Nihil tamen coram Legatis de quæstionibus de gratiâ, & libero arbitrio, vel de Faustii libris disputatum fuit, ut ex suggestione Dioscori colligitur. Attamen Victorem Diaconum de gratiâ, & humanâ libertate cum iisdem Scythis litem habuisse idem Dioscorus hæc significat: *Victor Diaconus dicitur quidam, cum isto, antequam nos Constantinopolim ingrederemur, habuerunt intentionem de uno de Trinitate crucifixo, & de Christo composito, & de aliis capitulis nobis hinc positis.* Capitula verò illa erant tria contra Pelagianam hæresim statuta, quæ habentur Tom. 6. Bibl. Patr. par. 1. Edit. Colon.

Scythæ Monachi hac repulsâ in indignationem acti Romam ad Hormisdam legationem mittere decernunt: electi Achilles, Joannes, Leontius, & Mauritius, quem ultimum perperam Baronius in Maxentium mutat, nam hic Constantinopoli substitit, ut dicemus. Ubi primum Monachorum Legatos Romanam profectos innotuit, statim Justinianus Magister militum, & Comes, qui post Justinum imperavit, ac Legati Pontificii literas ad Hormisdam dederunt, quibus eundem de iis, quæ illâ in quæstione cum Monachis peracta erant, certiore redderent, simulque Pontificem hortabantur, ut Monachos procul à conspectu ex urbe pelleret. Justinianus hæc scripsit: *Quo-*

mianu

niam comperimus quosdam nomine Monachos, quibus magis discordia studio est, quam charitas, & pax Dei cupientes quædam perturbare ad Angelum vestrum hinc descendentes iter arripuisse, quos Beatitudo vestra præsentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens, ita ut mereretur, suscipere, & à se longè pellere dignetur, quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesiâ, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque Sancti Papæ Leonis Epistolæ continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. In eandem ferè sententiam literas ad Hormisdam Dioscorus miserat Monachos arguens: *Quapropter, inquit, rogamus ut consuetâ cautelâ, & quâ solet Dominus noster vigilantia cogitetis, & quomodo suspendendi sint, qui à nobis taliter recesserunt, & à nostrâ communione fuerunt sejuncti, & quid eis respondeatur, vel quomodo eorum capitula repellantur, quia eos omnes Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia.* Legati verò iterato ad Hormisdam hæc scripsere: *Si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere pejus erit istud initium, quàm illud, quod factum est per Eutychem; sufficere debet Ecclesiæ. Iquod per sexaginta annos usque modò sustinuit.* Hæc literæ Legatorum unâ cum illis à Justiniano perscriptis datæ sunt III. Kal. Julias Eutharico V. C. Cos. quas Eulogius Magistranus nomine Justiniani Romam profectus ad impetrandas ab Hormisdâ reliquias detulit.

Ubi primùm Monachi Romam ingressi sunt superveniente paulò post Eulogio cum literis Justiniani, & Legatorum, Hormisdâ variis consiliis rem cœpit perpendere, & quidè haud æquum duxit, illos procul à suo conspectu amovere, & ab Orthodoxorum communione suspendere, ut Legati, & Justinianus petierant, quòd non essent adeò inhumaniter excipiendi, qui supremum Orbis Christiani tribunal appellassent. Verùm inaudito Victore, quem Monachi accusabant, minimè tutum arbitrabatur, sententiam ferre in re gravissimâ, quæ in Orientis tantis utrinque studiis agitabatur. Accedebat magnam esse in illâ propositione, de quâ lis erat, æquocationem. Etenim Legati eam sic à Monachis exprimi scripserant: *Unum de Trinitate crucifixum, quam assertionem cum Anastasius Imperator impius, & fidi-fragus pro Eutychiânâ hæresi inculcasset, merito in suspicionem eandem doctiores vocabant, quasi una tantùm in Christo natura prædicaretur.* At Monachi eo se dicto in invidiam trahi protestabantur, nam eorum hæc erat assertio: *Unum de Trinitate passum carne, & in libello fidei hæc scripserant: Deum Verbum unigenitum filium Patris Dominum Nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus.* Quare Hormisdâ, cum nemini se adversantem præbere vellet, missis ad Justinianum reliquiis per Eulogium cum literis ad Legatos, hæc ipsa eidem significabat: *Præterea Monachos, quos venisse Romam significastis literis vestris, ad propria mox volumus reverti, sed quia sub testificatione potentia divina dicebant per insidias in itinere paratas vita se posse sustinere discrimen volentes redire Constantinopolim, passim non sumus violenter expelli: Epist. 66. quæ data est IV. Nonas Septembris Eutharico V. C. Cos. Literæ verò ad Legatos intercederunt, sed ex responsione Dioscori, quam eidem reposuit, colligitur, Hormisdâ decrevisse Monachos Byzantium dimittere causâ ad Joannem Constantinopolitanum Antistitem delegatâ; nam Dioscorus in literis ad Hormisdâ datis Idibus Octobris hæc respondet: *Per Eulogium virum subli-**

mem literas Beatitudinis vestra suscepimus, in quibus significastis intentionem Monachorum Scytharum, & quomodo visum fuerit Apostolatui vestro, Episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos, & qui ab eis impetuntur audiret. Hoc autem summopore Legatis displicuit; nolebant enim causam ad Joannem tribunal devolvi, quem à Vitaliano Scythis acquisitum suspicabantur. Hic enim nullum non lapidem movebat, quòd Scythæ causâ superiores evaderent, imò ipse Victor ab inceptâ accusatione destitisse videbatur Vitaliani precibus placatus, vel auctoritate deterritus; quare Romæ causam tractari satius arbitrati sunt. Illa quidè Hormisdâ Dioscorus in eisdem literis significavit: *Postea sine nobis magnificus vir Vitalianus Magister militum inter se, & Episcopum Constantinopolitanum vocaverunt prædictum Victorem, locuti sunt cum eo, quid desinerint inter se neficimus, postea nec Victor ad nos venit, nec est causa dicta.*

Erat tùm temporis Constantinopoli Paulinus Ecclesiæ Romanæ defensor, qui Hormisdâ Pontificis literas Romæ datas 7. Idus Julii ad Justinum Imperatorem detulerat, ac propediem Romam reveriturus ferebatur. Ad hunc Vitalianus se contulit, Monachos Romæ degentes enixius commendat, Dioscorum Legatum ex iudice adversariæ partis advocatum agere conqueritur, literas etiam eâ de re ad Hormisdam deferendas tradit. Sed neque his officiis contentus homo militiâ clarus, ac in rebus gerendis satis industrius Justinianum adoritur, & maximâ, quâ pollebat facundia, & auctoritate non modò illum in partes suas traducit, sed & ab eodem literas obtinet per eundem Paulinum in favorem Scytharum ad Hormisdam perferendas. Hæc constant ex literis Justiniani ubi ait: *Undè ad Beatitudinem vestram & frater noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum virum sublimem defensorem vestra Ecclesiæ rescripsit &c. Et nos per eundem significare curavimus illa debere Beatitudinem vestram perficere, quæ pacem, & concordiam Sanctis concedat Ecclesiis.* Iteratas etiam idem Justinianus jam totus Monachorum factioni adhærens ad Pontificem literas paulò post misit, in quibus non ampliùs Scythas nomine tantùm Monachos, non discordes, non vaniloquos, uti in prioribus literis traducebat, sed etiam, atque etiam rogabat Pontificem, ut celeriter causâ cognitâ eisdem voti composset cum responso dimitteret. Do verba Justiniani: *Nam quanta questio in partibus nostris orta est, potest etiam antelatus vir religiosus Defensor, nempe Paulinus, Sanctitatem vestram instruere. Undè petimus, ut si est possibile, celerrimo dato responso, & satis factis religiosis Monachis Joannem, & Leontium ad nos remittatis, nisi enim precibus, & diligentia vestra ista questio soluta fuerit, veremur, ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax provenire.* Hæc ille.

Hormisdâ ubi à Paulino in urbem reverso intellexit non solum Vitalianum, sed & Justinianum mutatâ sententiâ Scythis patrocinari, & hunc paulò post iteratis literis pro Monachis ex accusatore strenuum intercessorem agere; ex aliâ verò parte Dioscori Legati Epistolâ superveniente, Joannem uti divenditæ sortè Monachis fidei insimulantis, integram causam Scytharum pendere iussit usque ad reditum Legatorum; quòd cum Monachorum Oratoribus, qui Romæ aderant, innotuisset, diuturnioris in Urbe moræ impatientes clam se Româ subducere tentarunt; verùm id Hormisdâ prohibuit, de quâ re ad Legatos literas dedit III. Nonas Decembris, mittens etiam exemplaria literarum, quas pro Monachis Justi-

nianus ad se transiſerat. *De personis Scytharum Monachorum*, inquit Hormiſda, *Justinianus vir illuſtris nobis ſcripſit, quarum exemplaria literarum fraternitati veſtræ direximus; qui cum nollet ſuſtinere veſtræ dilectionis adventum, & obſervationum moras ſe dicerent ferre non poſſe, tentaverunt clam de Urbe diſcedere, quos tamen ſociemus ſolicitiuſ cuſtodiri.* Ex quibus Scytharum Oratores ſub cuſtodia Romæ detentos inſinuat.

Ann^o
520.

Inierat initio ſequentis anni ſplendidiffimum conſulatum Scytharum Monachorum patronus Vitalianus, at malis avibus altiùs provectus eſt, ut lapſu graviore corruens proprio ſanguine Romanos factos feedaret. Juſtinianus in protegendis Monachis frœni potius, quàm calcarium indigus (erat enim ad Ecclèſiaſticas cauſas pertractandas promptiffimus) quò novi Conſulis favorem, vel amicitiam ſibi conciliaret, quartò ad Hormiſdam pro Monachorum cauſa ſcripſit, eorundem factionem jam liberiùs promovens. In his ſanè literis eos apprimè Catholicos conteſtatus litem verbo tenus tantùm eſſe autumabat iterùm rogans, ut jam tandem Monachos cum reſponſo dimitteret, quorum doctrinam juxtà traditionem Patrum dici vulgò affirmabat. Ejuſ verba ſunt: *Quidam aſerunt Chriſtum filium Dei Dominum noſtrum pro noſtrâ ſalute carne crucifixum unum de Trinitate debere predicari.* Item: *Quid ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur, quoniam verba videntur ſacere diſſenſionem, nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur &c.* Quia verò dictum eſt Scythicos Monachos hac ratione ad ſedem veſtram acceſſiſſe pro traditione Patrum, & ordine regularum, præbito eiſ reſponſo nihil formidante ad nos cum veſtris literis jubete remittere, quarum etiam exemplaria conſignata prædicto viro ſtrenuo Eulogio dari præcipite. *Hæc enim omnia ided petimus vos diſponere cautiùs, ut ne locus mendacis, vel inſidiis derur.* Hæc quidè literæ nullius Conſulis nomine ſubſignatæ ſunt, datas tamen exiſtimo hoc anno 520., quòd Eulogiuſ eaſdem portavit, qui cum Romæ eſſet anno præcedenti, Hormiſdæ literas datas IV. Nonas Septembris Conſtantinopolim detulit, uti diximus: licet verò ex literis Dioſcori in Regiam Urbem advenerit propè Idus Octobris, haud credibile eſt, eodem anno hyeme ingruente Romanum iter denuò aggredi juſſum. Cæterùm hiſce literis reſpondet Hormiſda Epif. 67. in hanc ſententiam: *Significantes Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos relinquere indiſcuſſa non poſſumus, ſed Legatorum noſtrorum, Deo juvante, feſtinemus adventum, pro quâ re eos in Urbe credimus retinendos, à quâ nec ipſi ordinatione diſſentiant.* Amplitudinem veſtram tamen retinere conſidimus, quòd de ipſis nobis præterito tempore literis deſtinatis ſcripſerit. Quibus poſtremis verbis Juſtinianum perſtringit, qui ſententiam in Scythicâ cauſa mutalſet; illum tamen hortatur, ut cum Imperatore agat, quòd Victor, aliive, qui à Monachis accuſabantur, Romam mittantur, ut meliùs cauſa tractari poſſit: *Victorem præterea*, inquit, *qui Diaconi habere perhibetur officium, cujuſ fidem hi ipſi Monachi vehementer accuſant, vel alios, qui perverſas forſitan obſciunt queſtiones, ordinatione Domini filii noſtri Clementiſſimi Imperatoris ad Urbem vobis ſuggerentibus dirigantur, ut univerſas allegationes, de quibus contendunt, nos poſſimus agnoſcere.* Quæ quidè literæ cum per Eulogium miſſæ ſint, certum eſt ſcriptas fuiſſe anno 520. ut ex dictis colligitur. Notanda tamen hic veniunt illa Hormiſdæ verba: *qui perverſas forſitam obſciunt queſtiones*: etenim non ob-

curè non tantùm illam de uno ex Trinitate paſſo, ſed & reliquas de gratiâ, & libero arbitrio queſtiones ſignificat, in quibus Scythæ Victorem, alioſque adverſantes patiebantur. Juſtinus etiam XV. Kal. Februariæ eadè de cauſa ad Hormiſdam ſcripſit Vitaliano, & Ruſtico Conſ. *Quoniam præter, inquit, noſtro Numini porrectæ ſunt ex diverſis Eois provinciis certa quadam diſſerentibus pro fide Catholicâ, ſecretaque ſua mentis declarantibus, quæ apud ſe pro individuâ Trinitate conſtituta teſtantur, quæque firmiter ſe recepturos oſtenditur, hiſque relictis Dioſcorus aliqua aſeruit non convenienti ordine inſerta fuiſſe, merito duximus aperienda vobis ea, quæ ſumus edoſti.* Hic Dioſcorus, qui Hormiſdæ Legatum apud Juſtinum agebat, atque Monachos Scythas ſuis ad Pontificem literis acerrimè inſectatus eſt, patriâ erat Alexandrinus, & unicè Hormiſdæ ob rerum agendarum peritiam, ac doctrinæ copiam carus, ita ut, in animo habuerit, eundem per Imperatorem Alexandrinæ Ecclèſiæ præficere; hinc Epif. 54. ita Dioſcoro ſcribebat: *Necèſe eſt ut de induſtriâ, vel fatigationis tuæ præmio, & viciffitudine cogitemus; Nam ſequenti tempore ſcribere Domino, & filio noſtro Imperatori diſponimus, ut te Alexandrinum Epifcopum debeat ordinare.* Quam ſedem cum obtinere non potuerit, mortuo Felice Romanum Pontificatum per vim invaſit conſtato contrâ Bonifacium II. ſchiſmate; at intrâ paucos dies ultore Numine extinctus eſt, ut ex hiſ apertè intelligatur, quem hominem Scythæ Monachi accuſatorem habuerint.

Quo tempore Monachi Scythæ Pontificios Legatos opperiri juſſi longiores Romæ moras trahebant, nobiles ſuæ ipſorum cauſæ aſtipulatores naçti ſunt. Erant in ore famæ Epifcopi Africani, qui à Traſamundo Vandalorum Rege Ariano in Sardiniam exules deportati fuerant; è re igitur viſum eſt, eodè miſſo Legato cum profeſſionis fidei libello in partes pellicere. Quatuor initio quidè Romam à Scythis Oratores ex Juſtiniani Epiftołâ deſtinatos diximus, ſed alii inſuper in priorum ſubſidium ſubmiſſi fuerant; hos inter Petrus Diaconus eminebat, qui primo etiam loco eorum literas ſubſcribebat, alter etiam Joannes Lector eiſdem additus legitur in ſubſcriptione libri de Incarnatione, & gratiâ in Sardiniam tranſmiſſi. Comuni conſenſu libellum in octo capita digeſtum producent, eumque per Joannem Diaconum ad Epifcopos Africanos dirigunt, in cujuſ præfatione hæc ſcribunt: *Suppliciter petimus, & obſecramus beatitudinem veſtram, quatenus diligenti examinatione ea, quæ inferiùs continentur diſcutientes (ut decet veriſſimos, & intrepidus Chriſti prædicatores) ſcriptis ſententiam veſtram nobis patefacere jubeat, ut ſi Domino præſtante Catholica fidei conveniens, & Apoſtolicis traditionis noſtra apud vos, ſicut non diſſidimus, fuerit expoſitio comprobata, & facile tantorum virorum, probatiſſimorumque Sacerdotum auctoritate muniti iniqua loquentium ora obſtrucere valebimus, & in fide Sanctorum Patrum perſeverantes Deo, qui nos ſanctimonii ſui confeſſione glorificavit, gratias referamus Domini Sanctiſſimi, & Deo digniſſimi.* Ruruſ ibidem etiam hæc inſuper præfati ſunt: *Utile, & pernecèſarium, ſanctiſque Dei Ecclèſiæ ſpecialiter credimus proſuturum, ea, quæ de Incarnatione, & diſpenſatione divinâ nobiſcum univerſæ Ecclèſiæ Orientalium contrâ hæreticos defendunt &c. ſanctitati veſtræ ſuggerere.* Hiſ lectis inſignis Scriptor Annalium pag. 47. exclamat: *Puto quidè in ipſo ingreſſu te conſideraſſe conſuetam hæreticorum arrogantiam, dum pau-*

ei Scythia Monachi, sitamen Monachi, potius verò circumscriptores dicendi, & impostores totius Orientalis Ecclesie præferunt esse Legatos, secumque omnes Ecclesias eadem sentire, ac præsertim populos Orientis. Profectò nusquam potui legere verba Scytharum, quibus se totius Orientalis Ecclesie Legatos venditarent, hoc enim unum scripsere in titulo libelli: *Petrus Diaconus, Joannes, Leontius, Joannes, & ceteri Fratres in causa fidei Romæ directi.* Universas quidem Orientalium Ecclesias unâ secum conspirare confectati sunt, sed non soli illa dixerunt; nam hoc ipsum de Episcopis Orientis scripsit Justinianus ad Hormisdam in Epistola, quæ est post 72. ejusdem Pontificis: *Illud etiam, ait, magis, magisque deponimus, ut tua sanctitas conceptâ gratiâ celesti, quæ præcedunt Orientales Episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis etenim videtur, quoniam filius Dei viri Dominus noster Jesus Christus ex Virgine Mariâ natus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, rectè dici unus in Trinitate &c.* Hæc verò literas accepit Hormisda XV. Kal. Octobris Rustico Cos. nempe hoc anno 520. Duo præcipuè Orientales exigebant, ne Hormisda è Sacris Diptychis plurimum suorum nomina abradcret, & ut illam thesîm approbaret: *Unum è Trinitate passum carne.* Undè ibidem his Justinianus Epistolam claudit: *Specialiter ergo cognoscat vester Apostolatus compositis eisdem duobus Capitulis universos sacerdotes istius Reipublice libenter amplecti vestram communionem.* De his quoque hoc anno Imperator XIV. Kalend. Februariarum ad eundem Pontificem scripsit, cujus verba paulo antè recitavimus.

In eo libello usque ad caput quintum inclusivè Monachi de personâ Christi Domini suam ipsorum fidem exponunt, capite verò quarto de illâ thesî ad eò controversâ hæc scribunt: *Idem Deus Verbum etiam cum propriâ carne unus est ex Trinitate, non quòd caro ejus sit de substantiâ Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate.* Quibus lectis contra Monachos rursus in aciem descendit Baronius, eisdem hæc perstringens pag. 47. *Ne quovis modo deprehendi possent, quòd ipsi essent hæretici, illud quidem astute excogitarunt, ut non eam proferrent, quam Constantinopoli Legatis dedissent, vel Romæ Hormisdæ Papa fidei confessionem edidissent, quâ dicendum contendeant, non unam Personam de Trinitate, sed simpliciter Unum de Trinitate esse passum in carne, sed Verbi nomen appossuere.* Sed doctissimi Cardinalis sententiæ non possum accedere; siquidem nil frequentius in parvo illo libello fidei ab eisdem Monachis Legatis Constantinopoli oblato reperitur, quàm Verbum esse illum unum, qui passus est carne; Lectorem, non interpretem hæc eorum verba exposcunt: *Deum Verbum unigenitum filium Patris Dominum Nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus.* Id ipsum testimonio Sancti Cyrilli dicentis, *si quis non confitetur, Deum Verbum passum carne &c.* utroque loco comprobant, & in eadem denique fidei professione hanc conclusionem ex pluribus dictis deducunt: *Restat, ut unus de Trinitate sit Verbum, qui de Virgine secundum carnem natus est, & homo factus passus est carne pro nobis.* Sed de his capite insequentibus consulto agemus.

Itaque defensâ thesî de Verbo uno ex Trinitate passo in carne à capite sexto usque ad finem libri de gratiâ, & libero arbitrio quid sentiant, exponunt hæc præfati: *Post hæc consequens est etiam, qualiter*

de Christi gratiâ sentiamus, quâ nos eruit de potestate Sathane; secundum quod nobis est traditum, vestra beatitudini declarare, quia etiam in hac parte auctoritas vestra nobis valde est necessaria. In eò de peccato originali, ejusque penis, de humani generis gratiâ reparatrice juxta Sancti Augustini doctrinam copiose, & eruditè disserunt; in fine cap. 6. fidem præcipuè dari à Deo tradunt, ac finè meritæ prædestinationem, & ex Cælestini Papæ, ut putabant, capitulis dicta confirmant. Errant tamen, dum cap. 8. hoc testimonium: *Omnia studia, & omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriam &c.* tribuunt Innocentio Papæ in Epistola ad Synodum Milevitanam, nam legitur in appendice literarum Cælestini cap. 8. Ceterum opusculum illud sic concludunt: *Hæc Sanctissimi non quasi ignoratibus suggerere necessarium estimavimus, sed ad confutandum eorum amentiam, qui ea ut nova dogmata, & penitus Ecclesiis inaudita refugunt, huic parvitatis nostræ libello inserere utile consideravimus. Quorum omnium sanctorum Patrum imbuti doctrinis anathematizamus Pelagium, & Cælestium, simulque etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Faustii Calliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirimensi proventus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est: In quibus non solum contra horum omnium sanctorum Patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli contraditionem veniens humano labori subjungit gratiæ adiutorium, atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non eâ gratiâ, quâ & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed nature possibilitate salvatos impie proficitur. Hæc illi in libello fidei ad Episcopos exules.*

Ingens erat apud Sardiniam Præsulum Afrorum numerus, ac cæteros inter & doctrinæ, & sanctitatis famâ eminebant Patres provinciæ Byzacenæ, quorum Dacianus antiquitate, Fulgentius verò Ruspensis Episcopus scientiâ primas tenebant. Hic Fulgentius post Prosperum alter Augustinianæ doctrinæ strenuissimus defensor quantâ in estimatione apud cæteros esset, ejusdem discipuli verbis intelligi libeat: *In rebus enim, inquit, dubis, ubi quam maxime consilium petebatur, si quando inter se confessores beatissimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem sedebat, verumtamen ipsius sententiâ Primas, vel omnes, qui Primatem sequebantur, audire, & facere cupiebant &c.* Post deliberationis autem longissimas moras, quicquid definitio communis invenerat eloquenter allegandum sensibus cæterorum Beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam quæcumque transmarinis literis de fide, vel de diversis questionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. cap. 20. de Vita Fulgentii. Joanne Diacono deferente Scytharum libellum Africani Episcopi acceperes, quo perlecto non modo illorum Monachorum fidem ex integro commendarent, verum etiam alterum & ipsi volumen pari titulo de Incarnatione, & gratiâ reposuerunt, in quò omnes Scytharum sententiâ approbarunt, aliique insuper solidioribus easdem argumentis muniverunt. Hi autem fuerunt XV. Episcopi, quorum nomina initio libri recensentur, unius tamen Fulgentii Ruspensis Aÿlo volumen illud elucubraturum fuisse ex verbis proxime adductis colligitur. Illa eximia Scythicæ fidei commendatio initio statim præfixa apparet: *Vestram, inquit, simul alacres & fidem cognovimus, & salutem, imò in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit.* A cap. 17. Faustii sententiâ de initio fidei ex viribus nature acurè refutant; nullâ tamen cen-

cenfurâ Faustum perfringunt, illius enim libros nondum viderant. At quod illum Scythæ accusaverant, tanquam contrâ gratuitam prædestinationem scripsisset, in epilogo & ipsi hæc respondent: *Cujus prædestinationis veritatem, quâ nos antè mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si antè ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, quâ Deo vivo, & vero rebellis obstitit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo antè mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinavit ad regnum.*

Dum hæc in Sardinia scribuntur, Legati Scytharum Romæ ingentes turbas dabant, etenim universis illam de Uno ex Trinitate passo sententiam inculcabant. At cum Dioscorum, quem hostem infensissimum semper experti fuerant, propediem Romæ adfuturum intelligerent, ne præsentis, ac Hormisdæ carissimi hominis auctoritate opprimerentur, diuturniorem se Romæ moram facere non posse dictantes ex Urbe egressi sunt, cum jugem ferè annum illic teste Hormisdâ in Epistolâ ad Possessorem, & ut Maxentius in responsione ad eandem scribit, quatuordecim menses morati fuissent. Idem tradit, Hormisdam veritum, ne præsentem Dioscorum convincerent, ejusdem pudori, ac famæ consulurum missis defensoribus vi Scythas Monachos ex Urbe expulisse. Sed Hormisdæ fides habenda est, etenim verisimile est, Monachos palam cognoscentes, Hormisdam ad ipsorum sententiam nolle accedere, existimasse eundem coram adversante Dioscoro longè duriorem futurum; quæ quidem exitus postea docuit; non enim Justiniani literæ, non Justiniani Epistolâ hoc ipso anno Româ egressis Monachis XV. Kal. Octobris accepta, non denique Legati Imperatoris anno insequenti Romanam missi Hormisdæ animum in eam Scytharum sententiam flectere potuerunt. Antequàm tamen Monachi Româ evaderent, libellos, atque exemplaria, quibus eorum de Trinitate, & divinâ gratiâ sententia continebatur, ad Principum statuas appenderunt, ut eo prætextu aliquod receptui mantellum esset. Eisdem ad Principum statuas exclamasse scribit Hormisdâ ad Possessorem, ut populum Romanum in commiserationem traherent, quorum tamen clamores surdâ aure Romanos pertransisse eodem auctore accepimus.

Monachis vix Româ dilapsis Hormisdâ Possessoris Epistolam Constantinopoli datam Justino Diacono delatore accepit, quâ rogabatur, ut quid de Faustii Rejenensis libris sentiendum foret, perscriberet. Unus hic erat ex Africanis Episcopis à Trasamundo in exilium missis, qui Constantinopoli sedem locaverat, ipsi Pontifici optimè cognitus, cujus etiam Epist. 15. ad eundem Possessorem legitur data 3. Non. Aprilis Agapito Cos. anno 517. in quâ ejusdem libellum fidei ad se transmissum commendat, & hortatur, ut constanter exilii calamitates ferat. At cum Constantinopoli Faustii libri à pluribus defenderentur ut Catholici, Maxentius cum Monachis collegis eosdem uti hæreticos damnabat. Quod verò Africani in questionibus de gratiâ, & libero arbitrio summè versati vulgabantur, plurimi sæpè, ac sæpius Possessorem Episcopum de Faustii libris consulebant. Hic quod exul, & private auctoritatis esset, neutri parti advocacionem præstare volens neque eos libros hæreticos dicere, neque tanquam Catholicos, & ab omnibus defendendos adstruere ausus est, sed privatas quasdam in illis sententias contineri autumabat, quæ tamen neq; palam reprobatæ, vel approbatæ essent ab Ecclesiâ. Sed præstat

Possessorem audire hæc ad Hormisdam scribentem: *Cum quorundam fratrum animus de codice Faustii cujusdam natione Galli Reginæ civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentius de gratiâ Dei disertè visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis ut se habent humana studia, in contrarium remittentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ à Tractatoribus pro capiti proprio ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad Synodali vicem pro lege servari, sed habere nos certa scilicet, quæ peteri lege, vel nova conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta iudicis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem; Hæc autem, quæ Antisites diversi conscripserunt pro qualitate sui sine præjudicio fidei solere censerî. Licet verò Justinianus crebras adeo literas ad Hormisdam dederit, nihil tamen unquam de Faustii libris perscripsit. Cæterum & his quoque litigiis unâ cum Vitaliano se se immiscuerat, atque ambo eâ de re Possessorem ad Pontificem consulendum induxerant, ut idem affirmat: *Quæso, inquit, ut consulentes, quid de præfati Auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolice responsionis agnoscant, maxime quod filii quoque vestri Magistrum militum Vitalianus, & Justinianus præcipue super hac re rescripto beatitudinis vestre similiter informari desiderant.* Vitalianum cum Monachis Fausto nigrum theta præfixisse certum puto; de Justiniano an in hac quoque contrâ Rejenensis libros sententiâ cum Vitaliano convenerit, incompertum est; suspicor tamen in hac quoque parte Consuli adhæsisse.*

CAPUT XIX.

Vitalianus Consul Faustii hostis, ac Monachorum Scytharum Patronus occiditur. Hormisdas Papa Faustii libros rejicit. De Jo: Maxentio Ufferii ballucinatio.

HOC anno mense Julio, quo Hormisdas Epistolam Possessoris accepit, Vitalianus Consul Constantinopoli decem, & septem vulneribus confosus occubuit, & quidem jubeate Justino Imperatore, Scribit Tunonensis in Chronico: *Justiniani Patrii factione dicitur interemptus fuisse.* Ibi tamen non rectè Vitaliani mors refertur ad consulatum Symmachi, & Boetii. Etenim Justinianus Imperatoris nepos virum rebus contrâ Anastasium feliciter gestis insignem ob nimiam potentiam Justino suspectum reddidit, veritusque ne sibi impedimento foret ad imperium post Justiniani mortem occupandum, de medio tollendum curavit. Certè Vitalianus ob Anastasium Imperatorem vi repressum, ac Severum, aliosque Hæresiarchas in exilium ipsius operâ depullos in omnium Orthodoxorum ore versabatur. Hinc in Synodo Tyriâ lectis literis, queis significabatur, Severum Constantinopoli in Synodo anathemate percussum, populus exclamavit: *Vitaliani Patriei multi sint anni: Vitaliani Orthodoxi multi sint anni.* Ita Vitaliani nomen datis Augustis Principibus acclamationibus inferebatur. Refert hæc Epiphanius Antistes Tyrius in Epistolâ ad Joannem Patriarcham, & Synodum C.P. Præterea in Synodo habitâ Apameæ in secundâ Syriâ acclamatum est: *Vitaliani Stratelati multi sint anni. Vitalianus dignus Imperatore.* Ita literæ Apameâ datæ, & recitatæ in Synodo C.P. sub Menâ Patriarchâ act. r. testantur. Justiniani nomen nec semel auditum est, cujus etiam animum hæc pupugere, undè Vitaliano necem intulit. Procopius

pius in arcanâ Historiâ pagina mihi 30. hæc scribit de Justiniano: *Illic vocatum mittit Vitalianum Tyrannum fide publicâ impunitate promissâ, & unâ susceptis Christianorum mysteriis. Paulo deinde post dato suspicioni, atque offensionis loco eum, ac necessarios in aula impiè contrucidavit, nihil veritus fallere fidem tam formidandam.* Nempe Justinianus hausto unâ cum Vitaliano super sacram mensam Dominico sanguine (ritus hic à *Græcis nuncupabatur*) mutuam fraternitatem juraverat, undè scribens ad Hormisdam Papam superius dicebat, *Frater noster gloriosissimus Vitalianus;* Sed regnandi causâ Justinianus tam formidandam fidem infregit. Idem tamen post Justinum imperium indeptus Joannem Vitaliani ex fratre Nepotem summopere dilexit, atque in Italiam cum exercitu contra Gothos misit, idemque Justinam Germani, qui Justiniani ex fratre nepos erat, filiam in uxorem ducens Imperatoriæ familiæ necessitudine junctus fuit. Sed de Joanne plura Procopius in libris de bello Gothico. Baronius initio Anni 520. hæc scribit: *Vitalianus luit pœnas de patrocinio Eutybianis Monachis præstito adversus Apostolicæ Sedis Legatos.* Sed ut in proximè dicenda dimittam Eutychanismum, quem eisdem Monachis importat, Vitalianum mintimè reprehendendum existimo, quòd Monachorum Patronum egit. Haud illi convenisse cum Dioscoro non negabo, sed interim per Paulinum, ut dictum est, ad Hormisdam de illâ quæstione de *Uno de Trinitate passo* literas misit, & per Possessorem eundem etiam Pontificem de Faustii libris consultum voluit, ut si in quopiam Dioscoro impensius Monachorum æmulis adherenti repugnarit, id minori ejusdem erga Apostolicam Sedem reverentiæ, & obsequio haud tribuendum sit, sed publicâ quietis studio, quo Dioscorum judicem, non adversarium vel inuito causâ desideravit. Legati quidè hæc de Vitaliano scripserunt ad Hormisdam post Epist. 65. ejusdem: *Vitaliano magifico viro surripuerunt, & ut talia vindicare pro talibus rebus, & contra nos quacunquè potuit impedimenta afferret.* Sed eâ in re se Legatis opposuit, quam extra Pontificis mandata privatâ auctoritate tractabant, ipsummet Pontificem interim per literas consulens, ut ipsius erga Hormisdam obsequium integrum omnino haberetur. Imò ipsis Legatis Constantinopolim accedentibus decimo ab Urbe milliario honoris causâ obviam processit, quod ad Hormisdam iidem perscribere. Unus etiam ille fuit, qui Anastasio Imperatore Eutychiano rem Catholicam vexante, arma pro fide incolumitate induit, atque à Principe Deo rebelli, & fidifrago deficiens eundem exercitu aggressus, non prius arma deposuit, quàm Anastasius & Episcoporum reditum, & sacram Synodum, cui Romanus Pontifex interesset, jure jurando promitteret; quam quidè à Vitaliano partam gloriam Monachos postea Scythas defendendo eundem obscurasse unus Baronius crediderit.

Hormisdam amaro in Monachos animo Possessoris Epistola invenerat, ob nuperam eorundem discessionem jure indignatum; quare Idibus Augusti Possessori respondens in priori parte Epistolæ pluribus in Monachos invehens est eoique tantum non hæreticos appellavit. *Quorundam, inquit, Scytharum, qui Monachos præferrebant specie, non veritate, professione, non opere, subtili telas calliditate versutias, & sub religionis & tractu famulantia odiis suis venena pertulimus.* Addit longè graviora, quæ in fine capitis sequentis referuntur. Deinde de Faustii libris consulenti respondens hæc: *Næ improvidè veneranda Patrum sapientia fideli*

posteritati, quæ essent Catholica dogmata, desinit certâ librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda Spiritu Sancto instruente prægens, ne opinionis suæ Leior indulgens non quod ædificationi Ecclesiastica conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, asseveret. Item: Nec vitio dari potest nosse, quod fugias, atque adeo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quibus insinuat à Gelasio factam librorum Catholicorum approbationem, nec culpandum, qui Faustii libros legat, sed qui ejusdem opiniones sequatur. At de Fausto hanc sententiam tulit iis planè verbis conceptam: *Hæc vero, quos vos de Faustii cujusdam Galli Anivistis dilectis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant, neque illum, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholica fidei, aut Ecclesiastica disciplina ambiguitatem posse gignere, aut religiosi præjudicium comparare.* Cum verò passim diceretur Faustus contra Sanctum Augustinum scripsisse, idem Sanctus Pontifex eâ sententiâ libris Faustii omni prorsus auctoritate exutis volumina postrema Sancti Augustini legenda ingessit, veluti purissimos fontes indicans, è quibus relictis Faustii paludibus limpidissimos Catholicæ doctrinæ latices haurirent. *De arbitrio tamen libero, inquit, & gratiâ Dei quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & servet Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum abundè possit agnosci, tamen & in scriptis Ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus.* Quâ quidè nobili asertione postor Romanos Pontifices ab Hormisdâ quoque Sancti Augustini doctrina consecrata est, & illa præsertim, quæ in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ continetur, quos libros Semipelagiani teste Prospero in fine libri adversus Collatorem ab Apostolicâ Sede negabant approbatos.

Petrus Diaconus cum in Palæstinam iter facere constituisset, ac fama esset, per eam provinciam plures hæreses passim serpere, quod ex cap. 31. vitæ Fulgentii colligitur, privatim literis Fulgentium rogavit, ut brevem fidei regulam ad se transmitteret, ne quis fortè minus cauto error obreperet. Fulgentius Petri sententiâ, ac consultatione commendatâ egressum, ac mirabilem eidem librum reposuit, in quo à capite 25. & sequentibus latè Pelagianorum, ac Semipelagianorum errores insectatur. Hunc librum Ferrandus Diaconus in Epistolâ ad Fulgentium qu. 5. *De regulâ veræ fidei* nuncupat, Isidorus etiam lib. de Script. Eccles. cap. 14. *regulam veræ fidei* dicit, quo ipso nomine idem Fulgentium cap. 44. suum illud volumen appellavit, ut titulus appareat ejusdem libri, qui per plura sæcula Sancto Augustino adscriptus *De fide ad Petrum* dicebatur, tantam cum Augustinianis scriptis ob sententiarum consonantiam similitudinem habet, ex quo etiam libro plurimæ sententiæ in decretalium volumina translate sunt. Porro cap. 44. omnia se juxtâ Catholicam Ecclesiam docuisse tradit, ac contradicentibus hæc interminatur: *Si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce; Ita enim ista, quæ posuimus, fidei catholica congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contrariare, in eo quod singulis eorum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus, & Christianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat.* In fine verò libri se in exilio scribere non obscure significat.

Interea Hormisdæ Epistola ad Possessorem in varia exemplaria transcripta non modò Constantinopoli, 521. verum

verum etiam latius per Europam legebatur, in qua cum Monachi Scythæ arguerentur, nec Fausti libri ut hæretici palam reprobarentur, Jo. Maxentius, qui adhuc Constantinopoli morabatur, eidem obviam scripto ire ausus est, responsum prolixam satis procudens, quæ Scythis objecta refelleret. Quod tamen liberius in Epistola Auctorem toto impetu debaccharetur, negavit, illam fuisse ab Hormisdâ scriptam, undè omni prorsus modestiâ depositâ veluti in hæreticum furibundus insiliens mille conviciorum plaustra evomit. Imò eò usquè furoris prolapsus est, ut in hæc impudentissima verba eruperit: *Veruntamen sive ab hoc, nempe Hormisdâ, sive à quolibet alio hæc sit scripta epistola, non est dubium, Auctorem ejus esse hæreticum, qui contentionem verborum, & subversionem audientium judicat Christum filium Dei unum fateri ex Trinitate.* Eodem etiam carattere describit Possessorem, quòd negabat, Christum filium Dei unum esse ex Sanctâ Trinitate. Deindè sententiam Hormisdæ de Faustii libris uti mitiorem reprehendit, quòd nolisset Faustii libros tanquam hæreticos condemnare, irridetque uti non ad rem datum responsum: *Nam cum de ipsis, ait, libris, non utrum legendi sint, sed utrum sint Catholici, vertatur quæstio, iste non de ipsis quid sentiendum sit, sed eos, quamvis non in auctoritate habendos, tamen legendos esse decernit.* Imò quòd Hormisdâ hæc in illis literis dixit: *Proficiamus inter adversantes propriis bonis, si non involvamus erroribus alienis; insimulare Pontificem homo petulantis ingentii non veretur, quasi Pelagio occultè faveret: verba Maxentii sunt absynthio amariora: Callidè tuam niteris occultare perfidiam, sed te splendore suo detegit Catholica veritas, & juxta cætera mala, etiam super perbissimâ Pelagianâ perfidiâ involutum erroribus cunctorum oculis anteponit, qui inter adversantes, non Dei munere, sed propriis bonis proficere te posse tumidâ elatione confidit.* Sed perperam tantum blasphemiam Hormisdâ objicit. Nam propria bona, non Dei donis, sed erroribus alienis opponit, licèt illa ita nostra sint, ut etiam donata esse credantur, de quâ re acutè Sanctus Augustinus explicans illa Orationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis.* At Maxentius Sancti Augustini assertiones Faustii dictis opposuit, ut Possessorem tanquam hæreticos libros Faustii damnare nolentem erroris convinceret: *Convenienter credidi, inquit, aliqua tam de Faustii, quam de antedictis libris ejusdem Sancti Augustini certa capitula decernere, & huic nostro opusculo inferere, ut cum in brevi collata ab invicem contraria sibi reperta fuerint, evidenter clareat, libros Faustii esse hæreticos.* In quo etiam veteri se vitio teneri Maxentius ostendit, nempe hæreticos omnes illos privatâ auctoritate declarare, quos suæ sententiæ adversantes videret. Verum quòd ex Sancti Augustini dictis in eo libello Faustum confutavit, hoc unicum encomium à posteris habuit, ita de eodem scribente Bellarmino in lib. de Script. Eccles. *Joannes Maxentius &c. Faustum, & Pelagianos egregiè refellit ex libris Sancti Augustini.* Cæterum Epistolam illam esse Hormisdæ, ac malitiosè id à Maxentio negari Baronius ex styli consonantiâ probabat, sed ex Epistola Synodicâ Patrum Africanorum in Sardinia exilium ad eundem Maxentium hoc ipsum aperte convincitur, ubi inquit cap. 17. *Quorum mentionem beatæ m. Hormisdas Sedis Apostolica gloriosus Antistes in Epistola, quam consulenti se sancto fratri, Consecratorique nostro Possessori rescripsit &c. ubi elogium Sancti Augustini libris ad Hilarium, & Prosperum delatum recitant; At hæc Epistola tempore Baronii nondum*

typis data erat. Maxentium verò scripsisse illam responsum ad Epistolam Hormisdæ Constantinopoli patet, quia ait in hac regiâ Urbe. Non fuisse illum Romæ ex toto discursu deducitur, in quo toties de Romanâ Monachorum commoratione verba facit, nec usquam se illis adnumerat.

Potest hic quæri, quinam fuerit Maxentius iste Scytharum Monachorum antesignanus. Posselinus in Apparatu sacro post Centuriatores cent. 6. cap. 10. putat, fuisse Abbatem Pictaviensem Congregationis Floriacensis Gallicanæ, qui teste Arnolde Vvion in Ligno vitæ libro 2. cap. 70. etiam oppido Sancti Maxenti vulgò dicto, nomen dedit. At hæc commenta sunt; ille enim Maxentius Abbas Pictaviensis jamdiu reclusus erat in Monasterio, cum Clodoveus anno 506. vel 507. contra Alaricum pugnavit ex Turon. lib. 2. de Gest. Franc. cap. 37. ubi celebre etiam sacellum Sancti Maxentii nominat, parum autem verisimile fit, Abbatem eo etiam tempore miraculis clarum Byzantium profectum, ac tantis litigiis non modò socium, sed Ducem se præbuisse. Vossius cum Simlero Maxentium Scytharum Patronum ne Monachum quidem fuisse putat lib. 1. cap. 23. Ego quidem Scytharum syncellitam non fuisse certum existimo; ab illis enim uti extraneus loquitur in responso ad Epistolam Hormisdæ; at Monachum illum fuisse negare non possumus, nam teste Dioscoro in literis ad Hormisdam, ille se Abbatem venditabat, quare Monasticam illum togam induisse certum est. Jacobus Usserius lib. de Antiq. Britan. cap. 14. pag. 480. diligentius cæteris videtur plura de Maxentio indagasse, sed & ipse lapsus est. In primis cum Ado Viennensis in Chronico ad annum 492. dicat, contra Faustum scripsisse Joannem virum eruditum Antiochenum Presbyterum, tradit, Maxentium fuisse Presbyterum Antiochenum, idque clarè se probare existimat ex verbis Maxentii in libello fidei dato Legatis, in quo Flavianum *hujus Urbis* Episcopum dicit, ejusque scriptum ad Theodosium commemorat; at Flavianus fuit Episcopus Antiochenus, qui ad Theodosium pro civibus Antiochiæ celebri legatione perfunctus fuit. Hinc deducit, libellum fidei à Maxentio, & sociis fuisse Antiochiâ ad Legatos Hormisdæ, qui Constantinopoli anno 519. aderant, transmissum. At hic Scriptor hallucinatus est, Flavianum, & Theodosium utrumque Juniores cum seniori Theodosio, alteroque Flaviano confundens. Intelligit eo loci Maxentius Sanctum Flavianum Antistitem Constantinopolitanum, quod facilè poterat Usserius intelligere ex his, quæ postea idem Maxentius subdit: *Sed his paulò manifestius B. Proclus hujus Urbis Episcopus, quem etiam veneranda recepit Synodus Caledonensis ad Armenios, cum contra Theodori blasphemias &c.* Hic Proclus electus est Antistes Constantinopolitanus Cos. Aspere, & Ariobindo anno 434. mense Aprili ex Socrate lib. 7. cap. 40. Quare Sanctum Flavianum Procli successorem, ac Martyrem laudat Maxentius in libello supplicii, quem pariter liquet Constantinopoli exaratum, dum appellat Proclum, ac Flavianum *hujus Urbis* Episcopos. Et quidem Monachi Scythæ à Ponticâ dicecesi Metropolitanæ Tomitani venerant, non autem ex urbe Antiochena, quod ex dicendis constabit.

Video Adonem etiam in errorem lapsum, secumque Usserium traxisse; ille enim tradit, Joannem Presbyterum Antiochenum contra Faustum scripsisse. Hunc Joannem Antiochenum Usserius eundem cum Maxentio facit, quòd illum Antiochiæ fidei profes-

sionem scripsisse putavit. Vossius verò eundem Joannem illum statuit, de quo Gennadius lib. de Script. Illustr. cap. 93. At Joannes Antiochenus Presbyter, antiquior est Joanne Maxentio, de illo enim hæc habet Marcellinus in Chronico sub Consulatu Longini anno scilicet 485. *Joannes Antiochenæ Parochiæ ex Grammatico Presbyter scripsit adversum eos, qui in unâ tantum substantiâ adorandum asserunt Christum, nec adquiescunt duas in Christo consistendas naturas.* Gennadius addit cap. 93. *simul & impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Episcopi sententias dicens incantè ab illo adversus Nestorem prolatas &c. vivere adhuc dicitur.* Quare Joannes Antiochenus, dum scribebat Gennadius antè annum 494. longævus erat, & Cyrillo obloquebatur; at Maxentius floruit anno 520. neque hic contra Cyrillum scripsit, sed eidem impensius adhæsit, & cum Monachis Scythis anathemate damnat *cuncta scripta duodecim capitulis adversantia Beati Cyrilli ca. 5. de Incarn. & Grat. ad Episcopos in Sardinia exules.* Neque illum Antiochenum quicquam contra Faustum scripsisse Gennadius tradit, quâ ratione enim tam citò Fausti libri Antiochiam volitassent? Ado verò quadringentis annis posterior vixit, ut haud tanti ejus testimonium faciendum sit, cum constet eundem ex Joannis Maxentii responsione ad Epistolam Hormisdæ ad verbum suum de Fausti libris iudicium exscripsisse. Hæc quidem de Joanne Maxentio ab aliis scripta confutavimus, nec tamen quicquam interim certi de eodem ipsi statuimus. Scripsit ille contra Acephalos, & libros duos contra Nestorianos ad Theophilum, quem suspicor esse illum Episcopum Heracleensem, qui primus Synodum Constantinopoli anno 520. coactam subscripsit tum temporis Maxentio eâ in Urbe commorante. In posteriori parte lib. 2. à cap. 19. usque ad finem de illâ propositione *unus è Trinitate passus* usque ad finem libri disputat, quem etiam sic concludit: *Nec ego te unquam aliud aliquid, quàm hæreticum judicabo, qui Deum Verbum D. N. J. suum Christum, qui pro nostrâ salute passus est carne, unum esse ex Sanctâ, & individua Trinitate non approbas, cui honor, & gloria in secula.* Quam sententiam etiam in præfatione ipsâ inculcat, ut planè certum videatur, eos libros fervente Constantinopoli illâ questione esse elucubratos. Bellarminus scribit Maxentium in responsione ad Epistolam Hormisdæ videri declinare ad Eutychianos Nestorianos refellentem. At nec Nestorianos ibi refellit, sed Catholicos, imò Hormisdam, quibus Nestorianismum ignominia causâ, & per calumniam opponit, neque ad Eutychianos deflectit, qui toties duas in Christo naturas deprædicat, sed de his iterum, & quidem proximè.

CAPUT XX.

Maxentius, ac Monachi Scythæ Sancti Augustini contra Faustum Rejensem defensores ab Eutychiana hæreseos notâ vindicati.

Monet hoc loco gratitudinis officium, ut stylium ad alia properantem parumper sistamus, ac Joanni Maxentio, & Scythiæ Monachis ob egregiè Augustiniano nomini navatam operam non modò gratias referamus, sed etiam vices rependentes Augustiniana doctrinæ adversus Faustum defensoribus necessariam advectionem commodemus. Etenim magnus Ecclesiasticorum Annalium Scriptor ad annos 519. & 520. Maxentium, ac Scythas religiosos tan-

tis convictis excipit, quantis vix ferè hæresiarcharum aliquem unquam proscidit. Ego quidem de singulis notis, quas Scythis inurit, nolo cum eo contentionis funem ducere, sed hoc unum falsò illis crimen affricum ostendam, quòd nempè Eutychiani fuerint. Vocet Scythas illos Baronius Tom. 7. *Pseudomonachos, versipelles, impios* pag. 46. *circulatores, impostores* pag. 47. *vellicet eorum imposturas, dolos, fallaciam, perfidiam* pag. 47. *exaggeret eorum temeritatem, prociaciam, & prorsus esfranem audaciam* pag. 60. nullam indè pro ipsis apologiam destinamus, sed quòd illos non Catholicos dicat pag. 46. *Subsantiitate monastici habitus latentes hæreticos* pag. 49. & pag. 43. exclamet: *Planè comperitur signis haud obscuris, & argumentis minimè dubiis eosdem ipsos Eutychianos fuisse hæreticos.* De Maxentio autem scribit: *Irrepere tentavit vaser impostor vano quodam prætextu declarandæ sententiæ Concilii Calchedonensis quadam adjiciendo, ut ex hoc posset ipsum funditus perdere, & damnatam hæresim restituere* pag. 44. Hinc de nece Vitaliani Consulis hæc supra ex eodem retulimus, *luit penas de patrocínio Eutychianis Monachis prestito.* Hæc nos admittere non possumus, sed Eutychiana hæreseos infamiam non modò à Maxentio, ac collegis propulsabimus, verùm etiam eosdem hæresis Eutychianæ strenuos expugnatores probabimus, ut eorum vicem dolere debeamus, qui tam pessimè audiverint.

Cum Legati Hormisdæ Papæ Byzantium appulissent, Maxentius cum sociis Scythis libellum fidei obtulit, in quo hæc profitebantur: *Unum eundemque Christum filium Dei unigenitum in duas naturas, inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inseparabiliter cognoscendum. In nullo naturarum diversitatem propter unitatem perimendam, salvâ potius proprietate utriusque naturæ in unâ personâ, unaque subsistentiâ concurrente.* Et in lib. de Incarn. & Grat. ad Patres Africanos cap. 2. inquirunt: *Igitur juxta Sanctorum Patrum traditionem D. N. J. C. in duabus naturis unitis, & inconfusis id est divinitatis, & humanitatis in unâ personâ, sive subsistentiâ consistemur.* Eutychem verò duas in Christo naturas negasse certum est, illud enim dogma hæreticum in Ecclesiam invehere conatus à Calchedonensi Synodo, & Leone Magno damnatus fuit. Interim audiat Sanctus Hormisdas Ep. 30. ad Cæsarium Arelatensem: *Eutyches carnis negans veritatem, & duas naturas in unâ personâ non prædicans, ut Manicheam phantasiâ Ecclesiis Christi, quemadmodum putavit, insereret, simili ratione damnatur.* Maxentius etiam contra Acephalos Eutychianos, qui Synodum Calchedonensem damnabant, scripsit, ejusque opus legitur Tom. 6. Bibl. Patr. p. 1. cujus illa est conclusio: *Constat duas, id est divinitatis, & humanitatis in Filio Dei post adunationem esse naturas, ex quibus, & in quibus subsistit una, & singularis Christi persona.* Et hos Eutychianæ hæreseos expugnatores dicemus Eutychianos? Sanè id si quis credat, non erit difficile, eidem persuadere Athanasium Arianis favere, militare in Pelagianorum castris Augustinum, factumque esse Cyrillum Nestorianum. Baronius pag. 50. respondet: *Ut persuaderent Catholicis se esse Catholicos, pro ratione temporis, & personarum fidei formulas diversas habuisse, & pag. 47. ait, eosdem in professione fidei ad Africanos missâ nomen Verbi posuisse, quod in illâ Legatis Constantinopoli data non fecerunt: Ne quovis modo deprehendi possent, quòd ipsi essent hæretici.* Sed in utraque professione fidei duplicem naturam in Christo affirmant; oculos Lectorum appellamus, verda enim ex utroque libello fidei prolata modò à nobis sunt. Pro-

Profecto Verbum nominarunt etiam in libello Legatis tradito, ubi hæc habent: *Deum Verbum unigenitum filium Patris D. N. Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus. Quæ cum vera sint, & juxta Orthodoxam fidem dicta, inferebant, posse etiam citrà reprehensionem absolute dici: Unus de Trinitate passus est carne.* Et Maxentius his planè verbis finit libros contrà Nestorianos: *Nec ego te unquam aliud aliquid, quàm hæreticum judicabo, qui Deum Verbum D. N. Jesum Christum, qui pro nostrâ salute passus est carne, unum esse ex sanctâ, & individua Trinitate non approbas.* Hæc ille.

Opponit Baronius, hos Monachos adversatos esse Synodo Calchedonenfi, *cùm eo additamento supplementum contenderent ipsam Sacrosanctum Concilium, quasi carens ipso esse dicerent imperfectum, ac proinde cui haud ruto credi posset.* Sed hanc illi à se notam excutunt, neque nostrâ advocacy opus habent. Etenim cùm illam propositionem *Unus è Trinitate &c.* ex pluribus Patribus comprobarent, non Synodo adjiciendam veluti necessariam appendicem contendebant, sed adversus Synodi calumniatores illam se defendere contestabantur. Audiantur tantum eorum verba in præfatione libelli fidei dati Legatis: *Equè ergo & de nostrâ paritate convenit judicare, qui non ipso termino venerabilis Calchedonenfis Concilii inserimus Patrum sententias, sed eis extrinsecus contrà inimicos pro ipsius defensione proferimus.* Tantùm abest, ut absque illâ thesi imperfectam contenderent Synodum Calchedonensem, quin potius anathemate percuterent, qui tam impie de Sacrosancto Concilio sentirent: *Sequimur, inquit ibidem, & amplectimur venerandam Synodum Calchedonensem, omniaque scripta Patrum Sanctorum, qui unum, & idem secundum horum Conciliorum definitiones senserunt; anathematizamus autem omnes, si quis dubitat, aut retrahat, aut imperiecta judicat, aut qui ea à fide Sanctorum Patrum estimat aliena.* Hæc illis apertissima, ac verissima sententia stetit.

Rursus pag. 44. scribit: *Cùm insuper abhorrent dicere, unam Trinitatis personam esse passam in carne, explodere receptum in Ecclesiâ personæ nomen dolose conantes &c.* Non ita est; neque enim illi in eam sententiam venere, ut negarent, unam Trinitatis personam esse passam in carne, sed cùm illa thesis ab adversariis affereretur, inferebant inconsequenter ab iisdem hanc negari: *unus è Trinitate passus est carne,* cùm eadem omnino sit cum propositione priori ab omnibus Catholicis assertâ. Hinc illos irridens Maxentius lib. 2. contrà Nestor. cap. 21. ait: *Quis enim tam stultus, & recors est, qui dicat, Petrus ex hominibus una persona est, non est autem unus ex hominibus Petrus? Quo loco fusius probat eos, qui unam è Trinitate personam Christum dicunt, debere etiam, velint, nolint, confiteri eundem unum è Trinitate, neque unquam priorem illum modum dicendi impugnavit. In responsione etiam ad Hormisdam scribit: *Quis enim tam stultus, & recors sit, qui dicere audeat, Paulum ex Apostolis unam esse personam, non autem unum esse ex Apostolis Paulum?* Quibus utriusque thesims similitudinem exprimit, nec primâ rejectâ alteram uti veram obtrudit. Illud verò, quod Baronius opponit, tentasse Monachos eâ viâ personæ nomen ab Ecclesiâ eliminare, falsum esse nullus non judicabit, qui eorundem libellos legerit, cùm in libello fidei legatis oblato, & in altero ad Afros transmissio unam in Christo personam disertissimè contrà Nestorium docuerint. Imò autem affirmare, neminem Scriptorum Latinorum an-*

tè Maxentium adeò acutè, & subtiliter de personæ nomine, & intelligentiâ disputasse, uti Maxentius lib. 1. contrà Nestorium cap. 11. & sequentibus. Et cùm cæteri Patres, & Scriptores veteres, Verbum vel hominem, vel naturam humanam suscepisse dixerint, undè ipsa etiam Ecclesia canit: *Tu ad liberandum suscepturus hominem &c.* Maxentius lib. 1. cap. 12. acutè notavit: *Meliùs ergo est susceptam à Deo naturam humanam, quàm susceptum hominem dicere.* Quem modum loquendi Scholastici, qui Theologicam disciplinam rigidiori stylo profecuti sunt, amplexi cùm Sancto Thoma 3. par. quæst. 4. art. 3. Verbum hominem assumpsisse minus propriè dici pronunciant.

Ex his non obscure colligitur, Scythas Monachos procul ab Eutychianâ labe fuisse. Justinianus eos Catholicos testatus est, totam, ac tantam litem logomachiam pronuncians. Hormisdas etiam in Epistolâ ad Possessorem novarum cupidus quæstionum, & in Epistolâ ad Justinianum procacem verborum novitatem eisdem objecit, nusquam hæreticos dixit. Africani in Sardinâ exules Orthodoxam Scytharum fidem commendarunt his verbis *Vestram simul alacres, & fidem cognovimus, & salutem, imò in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit.* Et Sanctus Fulgentius initio librorum de Veritate prædestinationis, & gratiæ ad Joannem Maxentium, & Venerium Diaconum ait: *Deo gratias ago, Sancti fratres Joannes Presbyter, & Veneri Diacone, cuius ope tales estis, ut pro gratiâ, quâ salvamur, magno spiritu, & fervore certetis.* Neque hic præmittenda sunt verba Patrum exulum in Sardinâ in Epistolâ Synodicâ cap. 17. ad eosdem Scythas Monachos: *Vos itaque, inquit, dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles, ac tenentes veram fidem, exhibere fratribus aliter sentientibus charitatem, nec de aliquo desperetis &c.* Imò Ecclesia Romana paulò post obitum Hormisdæ illam propositionem, *Unus è Trinitate passus est carne,* pro cuius defensione tot longarum peregrinationum incommoda, tot Magnatum, atque aliorum odia, tot denique labores illi devoraverant, approbavit. Etenim Justino mortuo Justinianus imperium indeptus nihil antiquius habuit, quàm ut illam thesim, pro quâ ad molestiam usque toties ad Hormisdam scripserat, à Romano Pontifice confirmaretur; ejusdem votis annuit Joannes II. utriusque autem literas exhibet Baronius anno 533. Ut planè haud reprehendendi sint Monachi, qui tanto conatu pro veritate certaverint. Hinc Vigilus Papa, cùm in trium Capitulorum proscriptionem, quam toto conatu Justinianus promovebat, consentire nollet, quò Imperatoris ejusdem animum quoquò modo deliniret, in encyclicâ Epistolâ propositionem memoratam se approbare testatus est: *Passus, inquit, carne est pro nobis Dei filius, crucifixus carne est, & mortuus carne est.* Tomo 38. Concil. edit. regiæ pag. 53. Eadem etiam thesis anno 553. definita fuit in Synodo V. collat. 8. canone 4. & 5. De variis autem sensibus, in quos illa propositio distrahi potest, eruditè agit P. Lupus in notis ad Synodum Ephesinam. Cùm plerique à Monachis Scythis in pravo sensu illam detorqueri judicarent, tot contrà eosdem tragedias excitarunt. Id sanè constat ex literis Trifolii Presbyteri ad Faustum Senatorem, quas Labbeus in nuperâ Conciliorum editione ad annum 519. publicavit, ubi sinistro prorsus interpretamento eam thesim excipit, turpemque Scythis hæresim affricat, à qua tamen fuisse alienissimi, ut ex eorundem libellis factis, superque monstratum est.

Illorum tamen Monachorum obstinatum studium, quo præconceptæ sententiæ ad cæterorum usque contemptum adhærebant, minimè commendamus. Cur Hormisdæ silentium imperanti non obtemperarunt? neque enim eam thesim ille rejiciebat tanquam falsam, sed uti novam, seu quæ novo modo exprimebatur, undè cum ambigui planè sensus esset, in malam partem poterat trahi ab hæreticis; at Monachi, nisi ea approbaretur, causâ se cecidisse existimabant. Hinc Oriens, atque Occidens litigiis implicatus, atque in Sardinia Meridies in sententiam tractus, ut paucis Monachis litigantibus univèrsus Catholicus Orbis commotus fuisse videatur. Libeat tamen hic Sancti Hormisdæ Papæ judicium de illis subnectere, ut si fortè nonnulli memoratis Monachis similes quandoque erumpant, nobis cavere possimus, non quòd hæretica, sed quòd nova populis obtrudant. Fuere ergo teste Hormisdâ illi Monachi *Contemptores auctoritatum Veterum, novarum cupidi questionum, solam putantes scientia rectam viam qualibet conceptam facilitate sententiam. Eò usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse judicium. Nec in numero fidelium deputantes sequacem traditionis paternæ, si sua viderint credere nolle sententiæ. Docti crimina serere, obrectationum venia componere, integrum corpus Ecclesiæ odisse, seditiones struere, invidiam concitare, & pro obedientiâ, quæ in cœnobis principatum regularis obtinet disciplina, obstinationem pertinacis amare superbia.* Quibus hæc adjicit Sanctissimus Pontifex tantas à Scythiis Monachis molestias passus, quòd eum vellent in suam ipsorum sententiam trahere: *Sero probavimus prophetica voce dixisse in novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines suorum amatorum habentes formam pietatis virtutem autem ejus abnegantes, itaque esse vitandos.* Hæc ille. Procul, o Superi, à nostris sæculis hocce tumultuanum religiosorum hominum genus, licet aliàs Catholicorum.

Cæterum undenam eruperint illi Monachi, quod priori forsitan loco dicendum erat, colligitur ex suggestione Legatorum ad Hormisdam, ubi inquirunt: *Isti de sua provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitane Ecclesiæ Antistes.* Undè e Ponto illos egressos constat, nam Tomos Ponti Urbs est, quam exilio suo, & carmine nobilem reddidit Ovidius. *Naso Tomitana jam non novus incola terre.* Lib. 3. de Ponto. Ille autem Paternus Episcopus primus subscribitur in literis Synodi Constantinopolitane ad Hormisdam de ordinatione Epiphani, & dicitur: *Provincia Scythia Metropolitanus.* Hic vero castiganda est palmaris hallucinatio Guesnaii, qui lib. 1. de Vita Cassiani cap. 21. pag. 62. hæc scribit: *Anim quendam Thmaeos Episcopum Paternum nomine annumerat Baronius ex Epistola Sancti Germani Episcopi Capuani ad Hormisdam Papam, in qua hæc leguntur de Monachis Scythi, seu Scythia tumultuantibus.* Isti de sua provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Thmuitanæ (non Tomitane, ut depravatè legitur) civitatis Antistes &c. In quibus in spissos errores lapsus est, Thmuim in Egypto urbem cum Thomis in Ponto oppido, ac Scythiæ cretum cum minori Scythiâ confundens, qui tamen in limine statim libri Scythiam fusiùs describens magnum se Geographum ostentare conatus fuerat. Non ergo Tomitane civitatis in memoratis literis depravatè legitur, sed Guesnaius Thmuitanæ depravatè legit.

CAPUT XXI.

Faustus Rejenfis septem libris à Sancto Fulgentio confutatur. Ejusdem libri tanquam hæretici ab Africanis Episcopis condemnantur. Vandalarum in Africa Regum chronologia exactius tradita.

MAxentius, ac Scythæ Monachi accepto ab Africanis Patribus libro de Incarnatione, & gratiâ, quem Legari ipsorum re infectâ Româ revertentes detulerant, cum in dies ob Faustii libros litigia Constantinopoli crescerent, egrè etiam ferentes, Hormisdam de eisdem mitiorem sententiam protulisse, insuper intelligentes ex delato ex Sardinia volumine Episcopos Africanos Faustii libros non legisse, communi consilio decrevere iteratò ad eisdem scribere, simulque Rejenfis volumina examinanda transmittere. Literarum summa erat: à pluribus absurdas de divinâ gratiâ, & libero arbitrio sententias defendi, nempe posse hominem proprio conatu absque Dei auxilio divinis præceptis obedire; Dei esse tantum imperare, nostrum verò imperata exequi; Gratiâ omnibus indifferenter dari; Parvulos ob solum originale peccatum non posse damnari. Horum qui prædestinantur, nihil habere suprâ cæteros Dei gratiâ collatum; Prædestinationem ex hominum meritis suspendi; Illos esse vasa misericordiæ, qui vel sæcularem habent, vel Ecclesiasticam dignitatem; vasa verò contumeliæ Clericos, Monachos, & Laicos. Hæc quidem literæ non extant, sed ex Epistola Synodica, & libris Fulgentii illâ colliguntur. In fine verò rogabant solutionem illius satis perplexæ disputationis de animæ origine, quæ magnâ contentione eâ in urbe tunc agitabatur. Librorum Faustii Byzantio ad Africanos transfusorum meminit Auctor vitæ Sancti Fulgentii cap. 28.

Nulli unquam nocentior, quàm Fausto Sardinia fuit; ibi enim Episcoporum exulum sententiâ duo ejusdem libri de gratiâ, & libero arbitrio tanquam hæretici damnati sunt. Dacianus Byzacenorum Antistitum Primas de Faustii libris consultatione habitâ, communi suffragio illorum consultationem Fulgentio injunxit jubens etiam; ut & de iis quoque, quæ contra Scythas Monachos Constantinopoli asserebantur, conscriberet. Fulgentius, qui de Arianis tot editis voluminibus, ac tot habitis vel coram barbaro Rege disputationibus triumpharat, in Faustum Rejensem, ejusque sectatores aciem deflectere justus pro divinâ gratiâ asserendâ universo impetu collecto ingenti prorsus labore, diu, noctuque operi intentus decem subtilissimos libros elucubravit, quorum septem adversus duos illos Faustii Rejenfis statuit, universa, quæ iste magnâ arte construxerat, majori virtute subvertens, reliquos tres ad Faustii sectatores expugnandos Monachis Scythiis inscripsit, quorum etiam studium in divinâ gratiâ defendendâ initio operis commendavit. Libri illi septem contra Rejensem malo Augustinianæ Scholæ fato interiere; eos quidem Hieronymus Vignierius in præfatione operis imperfecti contra Julianum cum blattis luctantes in ejuisdem bibliothecæ angulo scribit se reperisse, sed nobis salivam movit, diuque desideratorum voluminum expectatione fatigamur. Eos tamen se legisse testatur Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis in lib. de Illust. Scrip. cap. 14. ubi de Fulgentio loquens ait: *Scriptis multa, ex quibus legimus de gratiâ Dei,* & li-

et libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Gallie Regiensis Urbis Episcopo Pelagianæ pravitati conscientiam respondens, obmittitur ejus profundam destruyere calliditatem. Testimonium etiam addam Patrum Africanorum in Epistola Synodica, quam unâ cum illis Fulgentii libris ad Scytharum Monachos Constantinopolim misere, in cuius fine hæc scribunt: *Ceterum unus ex nobis inquantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos Fratres adversus Gratianum, et Prædestinationem intinuas vel sentire vel dicere, tribus libris vestro nomini dedicatis sufficienti disputatione respondit; Quæque adversus duos libros Fausti Galli septem libros editit, quos cum recensueritis, agnosceitis protinus, quem admodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholica fidei penitus inimica discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, et præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit.* In hac verò Epistola Synodica, quam publicè juris fecit Sirmondus, & legitur Tom. 6. Bibl. Patr. inter Opera Sancti Fulgentii, plures sententias, quas adversus Dei gratiam, & prædestinationem apud Byzantium inculcari Scythæ significaverant, solidè rejiciunt; et titulus Epistola hæc præfigitur: *Dei gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus Joanni Presbytero, et Archimandrita, et Venerio Diacono, et fidelibus viris, quorum in vestra Epistola subscriptio continetur, Dacianus, Fortunatus, &c.* Duodecim Episcopi nominantur. Joannem verò Archimandritam esse ipsummet Joannem Maxentium existimo, erat enim Abbas, vel talem saltem se publicabat ex suggestione Dioscori, ad Ilormisdam. Exactoris Chronologia studium, quod profite-mur, exigit, ut quo anno tum libri contra Faustum à Fulgentio, tum etiam Synodica Epistola exarata sit, exponamus. Baronius eum anno 522. Trasamundo mortuo Hilderici Regis inaugurationem statuat, eo quoque anno libros Fausti septem adversariis à Ruf-penti Præsulis impugnatione arbitratur anno 522. N. 4. Vossius eadem ratione ductus, Epistolam Synodicam ante finem anni 522. exaratam scribit lib. 1. Histor. Pelag. cap. 52. At Sigonius lib. 16. de Imperio Occidentali Hilderici Regis Vandalorum initia ad annum 524. protrahit. Victor Tunonensis in Chronico scribit anno 523. Maximo Consule Trasamundum obiisse, cui Usserius, Chiffletius, Petavus, alique credere. At cum aliorum Regum Vandalorum tempora ibidem Tunonensis prævertat, ac pessime confundat, eorumdem chronologia aliunde nobis est depromenda. Genserius violatâ pace anno 439. XV. Kalendas Novembris Carthaginem occupavit, inde verò Vandalici Regni in Africâ tempus numerari cœptum est. Porro captam Carthaginem consulibus Theodosio XVII. & Festo Prospero, ac Idatiis, qui tunc vivebant, in Chronicis scripsere. Vixit Genserius post occupatam eam urbem annos 37. menses tres ex Victore Viteni in fine libri primi de persecutione Vandalicâ, qui cum sub ejusdem Vandalis Viteni Ecclesiæ præfuerit, ac plurima incommoda pro fide Orthodoxâ passus sit, optimæ fidei Auctor venit. Dixi illum Vitensem, non Uticensem Episcopum, ut vulgò nominatus est, quod in libello notitiæ Episcoporum Africæ, qui sub Hunnerico Genserici successore persecutionem sustinuerit, in catalogo Episcoporum Provincia Procon-sularis legitur. *Florentinus Uticensis*, at in indice Præsulum Provincia Byzacenæ ita scribitur: *Victor Vitenis non occurrit.* Uticensis igitur Ecclesia spectabat

ad Provinciam Carthaginensem, Vitenis verò ad Byzacenam, & tempore Vandalicæ persecutionis hic Victor noster, illic autem Florentinus sedebat, & quidem hunc Victorem appellant Vitensem Chiffletius, & Holstenius, & codices MSS. laudant, in quibus Vitenis asseritur. Extat nobile fragmentum in appendice Chronici Prosperi ex MS. Augustano, ubi legitur de Genserico: *Rexit eandem Africanam civitatem annis XXXVII. mensibus tribus diebus sex.* Ergo moritur Genserius anno 477. die 25. Januarii. Successit Hunnericus, qui ex eodem Victore Viteni regnavit annos septem, menses decem, addit laudatum fragmentum dies 18. quare obiit anno 484. Idibus Decembris. Hic cum ad Kalendas Februarias coactâ Synodo Arianis suis faveret, ac contra Catholicos vi, ac fraude uteretur, & isti solidè fidem propugnarent, eosdem edicto in exilium misit. Ecclesiis clausis. Datum est edictum VI. Kal. Martii, ubi legitur Concillium coactum: *Ad Kalendas Februarias anni VIII. Regni nostri.* Incipiebat annus VIII. die 25. Januarii nostræ Epochæ 484. Marcellinus in Chronico ad eundem annum Theodorico, & Venantio Cons. scribit: *Hæc Arianorum crudelitas in religiosis Christi editores supra scriptis Cons. in eisdem barbaro capite infligit.* Annum hujusce persecutionis insigni caractere describit Gregorius Turonensis libro 2. de Gestis Franc. cap. 3. dicens: *Tunc, et sol teter apparuit ita, ut vix ab eo pars vel vertia eluceret, credo nunquam protans sceleribus, et effusione sanguinis innocentis.* Sethus Calvinus in Chronicis rectè sentit, hanc eclipsis, cuius ibi mentionem fecit Turonensis, contigisse anno 485. die 29. Martii, feria VI. horis septem p. m. non autem anno superiori 484. die 13. Januarii, sicut Lucas Holstenius, & Chiffletius existimant. Nam anno superiori die 13. Januarii alia fuit eclipsis Solis in signo Capricorni. Erat anomalia correctæ Solis grad. 218. & Luna 169. atque adeo fuit diametæ Solis 32. 50. & Luna 33. 24. vix est hæc eclipsis Athenis horis p. m. 20. 11. diebus 18. ante edictum contra Catholicos emissum, de qua Marinus, prout à Renerio in tabulis Medicæ græcè citatur: *Εκλειψις του ηλιου και της σελήνης, ας η ειληνισ η ηλιακη η τας ουρανους, ασε η νικησε η μεση ημεραν ημεραν, η κη η ημερα η βαθη, η ας η ημερα η βαθη, η ας η ημερα η βαθη, η ας η ημερα η βαθη.* Apparuerunt autem ante finem anni prodigia, veluti Solis defectus adeo perspicuus, ut nocte, atque interdum perduraverit. Obscuritas enim profunda ingruit, et stelle conspectæ sunt. Defectus autem iste contigit in Capricorno plagam versus Orientalem. Et quidem die 13. Januarii anno 484. juxta meridianum Byzantii vera luminarium Solis, & Lune conjunctio contigit horis post meridiem 20. 12. 47. apparens verò H. 19. 18. 13. in signo Capricorni. At cum die 14. vulgari Januarii Sol oritur Byzantii horis 19. 24. post meridiem diei 13. patet, maximam luminarium conjunctionem contigisse aliquot minutis ante ortum Solis nempe H. 4. 41. 47. ante meridiem diei 14. Digni diametri Solis obscurati sunt 11. 52. 24. Quare ferè totus Sol defecit. Itaque cum Gregorius de eadem eclipsi scribat, tertiam Solis partem non fuisse obscuratam, nequaquam locutus est de eclipsi anni 484. His accedit, in Galliâ, ubi Turonensis scribebat, eandem eclipsim non apparuisse, in quo etiam deceptus est Chiffletius in Notis ad Historiam Victoris Vitenis cap. 11. pag. 12. ubi ait: *potuit spectari Carthagine horis ante-meridianis.* Etenim juxta meridianum Parisinum memorata eclipsis accidit die 13. horis post meridiem.

18. 12. 49. quo tempore Sol erat subtus horizontem. Sed nec Carthagine medium illius eclipfis videri potuit. Altitudo poli Carthaginis est gr. 35. 10. Tempus apparens veræ conjunctionis luminarium juxta ejusdem urbis meridianum fuit die 13. H. post meridiem 18. 53. 17. Sole in gr. Capricorni 23. 2. 42. Locus autem verus Solis, & Lunæ erat gr. 25. 43. 23. Quare luminaria erant subtus terram. Hinc Marinus, qui id temporis Athenis Procli successor morabatur, ex Photio Cod. CCXLII. (unde juxta meridianum Atheniense eandem eclipfim ibidem descripsimus) rectè dixit, apparuisse eclipfim illam versùs Orientem. Ex his deducitur, Gregorium Turonensem intellexisse eclipfim insequentis anni 485. die 29. Maii feriâ 4. horis 7. post meridiem, vel juxta tabulas Britannicas 6. 51. 53. Luteriæ, cum tertia tantum pars Solis non defecerit, ut rectè Calvisius ostendit, de quâ etiam postea loquitur idem Marinus in libello laudato de Vitâ Procli.

Tertius Vandalorum Rex fuit Guntabundus, quem anno 495. decessisse Baronius, Petavius, aliique scripsere. Addit Baronius eundem duodecimum tantum annum inchoasse. Cæterum cum Procopius lib. 1. Hist. Vandal. Tunonensis, ac Isidorus in Chronicis scribant, duodecim illum annos regnasse, Baronii sententia cadit, neque enim Historici, aut Chronologi annum ultra unum, aut alterum mensem tantummodo inchoatum nominare solent. Profectò cum Hunnericus mense Decembri decesserit anno 484. Guntabundus vix paucos dies anni XII. vixisset, si anno 495. fati concessisset. Ex hoc errore Baronius Hilderici regni initia ad annum 522. collocavit unius anni prothonismo. Ex recitato fragmento veritas eruitur, ibi enim Guntabundus regnasse dicitur annos XI. menses IX. dies XI. quare diem obiit anno 496. die 24. Septembris. Obiit autem ex eodem fragmento nonnulla, quæ de Guntabundo Baronius tradit, corrigenda sunt. Hic enim ad annum 495. Num. 25. dicitur, inquit, hoc anno eodem Guntabundus Vandalorum Rex in Africâ regni sui anno duodecimo inchoato. *Abripuit Deus & vitâ hominem, cum intermissam aliquandiu persecutionem instaurât; Hoc namque tempore rursus Sanctissimum virum Eugenium Episcopum Carthaginensem exagitat, non ferens tantum virum in locis quibuslibet Vandalorum ditionis licet exulem degere &c. consilium illud inuit, ut trans mare enim in Gallias amandaret, qui illuc delatus Abigensem incoluit & vitatem.* Sed secus vetustissimus ille co dex de eodem Rege narrat his verbis: *Guntabundus tertio anno regni sui cæmeterium Sancti Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dari præcipit, Eugenio Carthaginensi Episcopo jam de exilio revocato. Decimo autem anno regni sui Ecclesias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes petente Eugenio Carthaginensi Episcopo de exilio revocavit.* Postea exactè etiam tempus clausurarum Ecclesiarum describitur: *Ex die VII. Idus Februarii usque ad X. annum Guntabundi in diem IV. Idus Augusti completi sunt anni decem menses sex.* Et postea: *Qui memoratus Guntabundus Rex postmodum vixit annos duos, mensem unum.* Ex quibus postremis verbis mense Septembri mortuum habemus Guntabundum, ut deducebamus, qui tantum abest, ut Eugenium in exilium miserit, quin illum potius ab exilio revocaverit, ejusque petitione cæteros Præfules suis sedibus restituerit. Ex quibus etiam corrigendus est Procopius, qui Guntabundum Christianis insensissimum semper hostem fuisse scribit.

Trafamundus postea regnavit, qui Sanctum Eu-

genium in exilium detruxit, hic autem in Gallias secedens teste Tunonensi Theodoro Consule nempe anno 505. ad Superos abiit. Trafamundum viginti septem annos imperasse concedunt Tunonensis, ejusque exscriptor Isidorus. Sed laudatum fragmentum exactius tempus designans refert regnasse illum annos XXVI. menses VIII. dies IV. quare decessit hic Rex anno 523. die 28. Maii. Scio Tunonensem, atque Isidorum scribere, Trafamundum regnasse annos solidos viginti septem, ac menses insuper quatuor, quod falsum esse ex literis Bonifacii Primatis Carthaginensis patet, ex quibus etiam accepti ab Hilderico regni primordia optime statuuntur. Exstat in Bibliothecâ Vaticanâ Synodus Africana celebrata à Bonifacio Episcopo Carthaginensi unâ cum LVIII. Episcopis mense Februario anno secundo Hilderici Carthagine in secretario Sancti Martyris Agilei; ibi verò recitatur Epistola Liberati Episcopi ad Bonifacium Carthaginensem, quæ accepta ponitur: *Idibus Decembris Anno primo.* Respondet Bonifacius Epistolâ *Data die XVII. Kal. Januariæ Anno primo.* In his autem literis hæc scribit Bonifacius: *Intimamus Resurrectionis Dominicæ Sacramentum VII. Iduum Aprilium adfuturum fore.* Porrò Pascha anno 524. celebratum est VII. Idus Aprilis, qui fuit annus Bissextilis Cycli Solis I. Lunæ XII. lit. G. F. ergo Epistola Bonifacii scripta est anno 523. die 16. Decembris anno primo Hilderici. Hanc Synodum Luca Holstenii V. C. manu descriptam nobis legendam exhibuit Carolus Moronus Basilicæ Sancti Laurentii in Damaso Canonicus, ac celeberrimæ Bibliothecæ Barberinæ Præficus ob raram eruditionem ab Eminentissimo Barberino tanti thesauri custos designatus, neque enim sapientissimus Princeps nisi apprime eruditum totius eruditionis sacrario præficeret. Legitur eadem Synodus tomo 38. Concil. edit. regia pag. 33. sed non integra, eam enim Holstenius ad D. de Marca transmiserat. In eâ Synodo anno 525. Carthagine celebratâ agitur de exemptione monasterii à potestate Episcopi, ibique recitatur decretum Concilii Arelatensis sub Ravennio in causâ Monasterii Lerinensis, quod à Sirmondo inter Gallicana Concilia editum fuit. Interim Hilderici Regis initia citrà dubium ex laudatis literis Bonifacii anno 523. statuuntur. Hildericus verò piissimus Rex antequam publicè inauguraretur, Episcopos Catholicos ab exilio revocavit; rem ita narrat Tunonensis: *Hic ergo sacramento à decessore suo Trafamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret, priusquam regnaret, ne sacramenti terminos præteriret, præcipit & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, & Ecclesias aperire Bonifacio Episcopo ordinato.*

Ex longiori hac chronologica digressionem habemus, libros septem Fulgentii contra Faustum scriptos fuisse anno 523. nam de eisdem loquens Syncellus in Vita Fulgentii cap. 28. *Magnus planè, inquit, hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit; Mox enim, ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissima captivitas catena disrupta, mors enim Trafamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis Ecclesie Catholice per Africam constituta libertatem restituens Carthaginensi plebi proprium donavit Antistitem, cunctisque in locis ordinationes Pontificum fieri clementissimâ auctoritate mandavit.* Verum his obstat videtur Epistola Synodica Africanorum Patrum in Sardinia exulum, in quâ mentio habetur Hormisdæ Papæ veluti jam defuncti, etenim *beata memoria*

Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes ibidem appellatur, scriptam verò in exilio Epistolam inde constat, quod initio hæc leguntur: *Accepimus vestre charitatis Epistolam, qua nostrum ex parte relevavit, ex parte verò mestificavit exilium.* Scio nonnullos apud Baronius scribere obiisse Hormisdam anno 522. sed ex inscriptione repertâ in Vaticano anno 1608. quæ habetur in lib. 2. cap. 10. Romæ subterraneæ, refelluntur; anno enim 523. Maximo Consule Hormisda facultatem conjugibus quibusdam concessit, ut in Basilicâ Sancti Petri possent sepeliri.

FL. MAXIMO V. C. CON...
CONCESSUM LOCUM
PE... ROMÆ EX TRB.
VOLUP... ET CONJUGI
EJUS JOHAN. PAPA
HORMISDA, ET TRA...
PRAPST. BASC. BEATI
PETRI.

At cum Tunonenfis, ac Isidorus Hildericum, antequam Rex inauguraretur, testentur Episcopos ab exilio revocasse, asserendum est, Epistolam Scytharum acceptam quidem ab Episcopis Africanis, dum adhuc exularent, eosdem tamen respondisse postquam ab exilio reversi sunt illo ipso anno 523. Fulgentius ergo cum reliquis in Africam reversus alterum pro divinæ prædestinationis, & gratiæ defensione opus aggressus tres de veritate prædestinationis, & gratiæ libros inscriptos vulgavit. Testem de eundem Fulgentii & exulantis, & redeuntis assiduam comitem cap. 29. hæc dicentem: *Multa jam reversus de exilio novem, & decem libris Fabiani mentientis falsa gesta convincens: De veritate prædestinationis, & gratiæ libellos tres confecit.* Africani etiam Patres in Epistolâ Synodicâ horum Fulgentii librorum mentionem faciunt; Cæterum, inquirunt, unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos Fratres adversus gratian, & prædestinationem intimasti vel sentire, vel dicere tribus libris vestro nomini dedicatis sufficienti disputatione respondit, quique adversus duos libros Fausti Galli septem libros edidit &c. Quare si tres Fulgentii libri de veritate prædestinationis, & gratiæ post exilium à Fulgentio in Africam reverso teste Syncello scripti sunt, cum illos hæc Epistola nominet, ipsam quoque ab Episcopis jam ab exilio revocatis datam fuisse nullus inficias ibit.

Itaque Fulgentius ubi septem illis libris Semipelagianorum Coryphæum expugnavit, unâ cum cæteris Patribus, qui Faultum Synodali sententiâ damnaverant, postliminio tandem Africæ restitutus fuit; audiatur Syncellus: *Beatus itaque Fulgentius postquam sapienter expugnasset Pelagianos, laudatos meruit videre Catholicos.* Inde secundum quod per eum Spiritus Sanctus prædixerat, reversus est Carthaginem cum omnibus Consecratoribus, undè solus exierat. Ubi verò e jusdem libri Constantinopolim delati sunt, Fausti sectatores non modò animum demississe, sed & Regens sententias egerasse inde colligo, quod regiam illam urbem illis controversiis in posterum turbatam fuisse nullus prædit. Libeat hic tamen audire nostri Fulgentii Fausto expugnato triumphum, quo à Carthaginensibus exceptus fuit, narrante ejusdem discipulo cap. 29. *Tanta autem fuit devotio Carthaginensium Civium Beatum Fulgentium revivere cupientium, sic universus populus expectabat ardentem, quem viderat in conspectu suo pugnavisse viriliter, ut aliis Episcopis antè ipsum descendentibus silens multitudo super litus staret,*

oculis, & mentibus inter omnes Episcopos beatum Fulgentium (quem familiariter noverat) quærens, & eum à cunctis navibus expetens. Ubi verò facies ejus apparuit, immensus nascitur clamor altercantibus omnibus, quis primò salutarer agnosendus, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Hæc ille.

Fulgentium Ruspensi Ecclesiæ componendæ intentum Fabianus Arianorum sectator interpellavit, contra quem è vestigio decem ille libros edens furentis hominis audaciam compressit. Latent hi quidem libri, cæterum Theodulphus Aurelianensis à Simondo editus plura illorum fragmenta producit. Interim à Monimo amicissimo viro ad scribendum de divinâ prædestinatione iterum compellitur. Hic ex pravâ intelligentiâ sententiæ Augustinianæ in eam absurdam opinionem descenderat, ut putaret ex Sancti Doctoris sententiâ Deum homines æquè ad bonum, ac ad malum prædestinare, rogavitque per literas Fulgentium, ut Sancti Augustini verbis, quibus in eam sententiam propellebatur, expeasis, quid sentiendum foret rescriberet. Fulgentius unum de prædestinatione librum eidem statim proculdit, quem unâ cum duobus aliis, quibus reliqua à Monimo dubia proposita solvebat, ad eundem transmissit. Illius scopus est, ostendere, Deum prædestinare homines ad bona, non ad mala perpetranda, ac Sanctum Augustinum intellexisse Dei prædestinationem ad malum poenæ, non culpæ. In fine verò libri ait: *Nos itaque charissime hæc interim pauca de libris Sancti Augustini, & de responsionibus Prosperi ad hoc malum huic libello inserere, ut cuncti noverint, quid debeant de prædestinatione Sanctorum, impiorumque sentire, simulque ut appareat ejusdem Beati Augustini dictis tenorem nostræ sententiæ convenire.* Syncellus cap. 26. ait: *Testimonia quoque prædestinationis, & gratiæ differentias cupientem nosse salubriter disputans docuit.* Hic verò appellatum arbitror librum ad Monimum, nam idem Sanctus Episcopus initio libri secundi ad eundem ait, se solvisse quæstionem de diversitate prædestinationis justorum, & iniquorum. Istud volumen post reditum ab exilio scriptum ex his Fulgentii verbis colligo in præfatione. *Divino etenim igne succensus sic nobis jugiter compateris, ut etiam illas tribulationes, quæ licet acciderint nobis, Domino tamen adjuvante fuerunt superatae. Tu sic eas pro nobis penè semper pateris, ut quoties eas corde revolveris, toties eas pati quodammodo compellaris &c.* Hosce libros ad Eugippium Abbatem eosdem petentem in Italiam transmisit. Hic ille est Eugippius Abbas Augustinianæ doctrinæ per Italiam propagator, de quo hæc habet Siebertus lib. de Script. Illust. cap. 39. *Eugippius Abbas hortatu Renducis Neapolitani Episcopi deflorans libros Augustini Episcopi Hipponensis dedit codicem magnæ utilitatis ad Probam virginem, & per manus ejusdem Renducis Episcopi obtulit Ecclesiæ Neapolitanæ.* Hic liber Eugippii Basileæ, & Venetiis olim editus est, neque hic prætereundum existimò, quod ille Scriptor in commendationem Augustini adversus Pelagianos scribentis in præfatione operis exaravit: *Inter magnos, inquit, Ecclesiæ Catholicæ Doctores præclarum fuisse, & esse Beatum Augustinum quis ignorat Episcopum? quem divinâ eruditione mirabilem tum omnes Orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipue tamen Apostolicæ Sedis Antistites scripta ejus sua auctoritate firmantes tanto majori studio simpliciter amplexi sunt, quanto ampliori so-*

latio

latio eis se usos esse testantur; nam contra multos hostes Ecclesiæ dimicantes, & maxime contra versipelles inimicos gratiæ Dei doctrinâ ejus instructi, vel potius eadem illustrati gratiâ, semper existerent victores &c. Interim vivo Fulgentio nullis de divinâ gratiâ dissolutionibus Africa convulsa est Augustini doctrinâ ibidem veluti sacrâ hæreditate summâ semper in veneratione habitâ, quod Fulgentii, Primasii, aliorumque scripta Augustinianis sententiis passim referta indicant. Et hæc de Faustii libris à Sancto Fulgentio confutatis.

CAPUT XXII.

Sanctus Casarius Arelatensis Faustum scriptis impugnat. Aliorum de Casario Chronologia rejicitur.

DUm hæc Constantinopoli à Scythis Monachis, & ab Africanis in Sardinia contra Faustum Rejentem aguntur, strenuus contra eundem in Gallia hostis insurrexerat Casarius Arelatensis, qui ultimo ictu Semipelagianismum confecit. Hic Lerinensis Monachus, dein Arelatensium Antistes, si quid damni in Gallia per Lerinensem Abbatem Faustum, vel Hilarium Augustiniana doctrina passa erat, abundè refarcivit. Juvenis Monachum professus est in cœnobio Lerinensi sub Abbate Porchario Faustii successore; undè mirum id negari à Vossio, cum Cyprianus in Vita Casarii disertis verbis id tradat. In eodem Monasterio Lerinensi eundem post Porcharium Abbatem fuisse scribunt Sauffajus ad diem 27. Augusti, & Torellus in Sæculis Augustinianis ad annum 544. id extrâ dubium asserens, quod tamen prorsus falsum est, nam Cyprianus Casarii discipulum apud Sarium ad diem 27. Augusti cap. 3. scribens de Eonio Episcopo Arelatensi ait: *Cœpit ergo juvenem Casarium non jam ut peregrinum, vel extraneum, sed attentioni obtutu intimis cordis oculis contemplari, moxque ab Abbate Porchario illum experiri, & licet ab invito etiam impetravit. Illico primum Diaconus, deinde Presbyter ordinatur. Item: Defuncto autem in SUBURBANA CIVITATIS INSULA Abbate ab Episcopo Eonio eo Casarius mittitur, ut monasterium Rectore destitutum ipse in eadem reverentiæ auctoritate succedens monasticâ disciplinâ informaret. Itaque in Suburbano monasterio libens eam complectitur vitæ rationem &c.* Quibus apertè significat, Casarium constitutum Abbatem in insulâ, quæ adversus Arelatem Rhodano alluitur, neque enim Lerina est insulâ in suburbiiis alicujus civitatis, multo minus urbis Arelatensis, propè quam Abbatem gessit Casarius, cum Lerina sit ex alterâ Provinciæ parte Mediterraneo circumfusa adversus Antipolim. De hoc Monasterio in suburbiiis Arelatensium intelligenda est Epistola Gelasii ad Eonium data anno 494. quam noster Historicus de Lerinensibus loqui arbitrabatur.

Faustus eo artificio suos de gratiâ, & libero arbitrio libros adornarat, ut addita viri fama plurimis in Gallia fucum fecerit, & iis quidem non ex ultimâ literatorum plebe, sed ipsi Urbium Præsulibus. At post Faustii proseriptionem in Romanâ Synodo latam non adeo frequens erat Semipelagianorum numerus, sed adhuc tamen in plurimis veteris sententiæ amor obstinatio perdurabat. Horum conatibus se se opposuit Casarius jam in Arelatensi Sede Eonio successore, quo verò non modò præsentem, sed absentem etiam instrueret, librum edidit de gratiâ, & libero arbitrio eodem prorsus titulo, quem suo operi Faustus inscripserat, ut præsentissimo antidoto Rejentis vene-

na expelleret, in quo volumine Sancti Augustini doctrinam adversus Fausti insultus sordidissime propugnavit. Hinc celeberrimus ille Ennodius Ticinensis in Epistola ad Casarium ait: *Tibi debet quicumque ille SCRIPTORUM MAXIMUS, quod cum dote elocutionis amplificas.* Addit nobile Scholion Baronius ad annum 508. *Sanctum Augustinum videlicet, quem adversus Faustum eum impugnantem defendit.* Erat Casarius eâ ætate in Gallia magnæ auctoritatis, eumque Symmachus Papa pallii honore decoraverat, at ex libri hujus evulgatione longè majus ipsius nomen evasit; indè etiam Semipelagianorum vires decedebant Augustinianis prævalentibus. Hunc librum à Felice IV. Pontifice laudatum, atque Apostolicâ auctoritate communitum scribit infartor Genadii cap. 86. his verbis: *Casarius &c. de gratiâ quoque, & libero arbitrio edidit testimonia divinæ scripturarum, & Sanctorum Patrum judicis munita, ubi docet, nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi eum divina gratia prævenierit. Quod opus etiam Papa Felix per suam Epistolam roboravit, & in latinis promulgavit.* Verum & hic liber magno cum Augustiniana scholæ detrimento ad posterorum manus non pervenit.

De Casarii ætate non una est Scriptorum sententia; nam Baronius anno 453. ejus res gestas in quinto Annalium tomo enarraverat, at accepto postea ab Arelatensi Ecclesiâ Epistolæ codice vetustissimo, ac Casarium VI. sæculo floruisse comperiens, mortuumque ad annum 544. priorem sententiam retraxit in appendice ad tomum 10. Suarius ex Theologo historicum agens Prolegom. 6. cap. 5. plurima de Synodo Arausicanâ, de Prospero, de Leone Magno comminiscens Baronii palinodiam non admittit. Torellus nos ter utramque Baronii sententiam amplexus supra centesimum annum vixisse Casarium scribit anno 544. num. 24. Sed res extrâ dubium ponitur, si Melliani commentaria apud Surium ad diem 27. Augusti legantur, nam ille, qui Casarii Notarius fuit, hæc literis mandavit cap. 22. *Cum ergo enim semianimen redderet conspectibus nostris infirmitas, & inter hæc septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, è quibus quadragesimum in Pontificatu verteret circulus gyrum, & animadverteret per spiritum imminere sibi transitus diem &c.* Quare cum septuaginta tres annos Casarius vixerit, quorum XL. in Episcopatu exegit, cum ejus natalitium diem nulla Scriptorum monumenta prodiderint, videndum est, quo anno decessit, indè enim retrocedentes primum, & dignitatis, & vitæ annum deducemus. Est Epistola Vigilii Papæ, quam ad Casarium de penitentia incestuoso injungendâ scribit, itemque altera ejusdem Vigilii ad Auxanium data, in quâ narrat, se intellexisse à Terentio, & Joanne Arelate ad se delegatis eundem electum illius Urbis Episcopum. Literæ istæ ad Auxanium à Baronio leguntur scriptæ XV. Kal. Novemb. post Conf. III. Basilii nempe anno 544. At Bollandus, Usserius, & Sirmondus ex codicibus vetustioribus legunt iterum post consulatum Basilii, nempe anno 543. Bollandus ad diem 12. Januarii in Vita Sancti Casarii putat, Casarium eo anno non decessisse, sed anno 542. neque enim, inquit, intrâ breve illud tempus. Auxanium potuisset consecrari in Episcopum, & pallium impetrare à Vigilio. Sed cur ista commodè fieri non potuerint spatio 25. dierum à die 27. Augusti, quâ Casarius obiit, usque ad 18. Octobris, quâ die literæ Vigilii scriptæ sunt, non satis videt; sanè si menses 14. interlaban-

tur,

tur, vel Auxanius negligens fuisset in nunciis de sibi noviter delatâ dignitate mittendis; vel lentus fuisset Pontifex seram ad eò responsonem dando. Et quidem cum Auxanius esset Metropolita, juxtâ Ecclesiastica statuta statim post electionem ad Vigilium, ad cuius Patriarchicam Dicecesim pertinebat, de sibi delatâ dignitate literas eundem misisse non dubito. Quod tamen addit Bollandus de pallii impetratione falsum est, nam Vigilus re prius cum Justiniano Imperatore communicatâ, pallii usum anno 544. concessit Auxanio, ut ex Epistolâ ad eundem datâ XII. Kal. Junias habetur, in quâ scribit, etiam Sanctum Cæsarium à Symmacho pallium obtinuisse. Itaque Cæsarius mortuus est anno 543. die 27. Augusti; quare sit Episcopus anno 503. nascitur verò anno 470. Nescio undenam Ullerius divinari potuerit, natum Cæsarium sub initium anni 471. & sub exitum 503. factum illum Episcopum; nam ut nihil dicam de initio anni 471. Sanctus Eonius Cæsarii decessor obiit die 3. Augusti, ut ex Martyrologio Saussai colligitur, neque quatuor menses sedes vacavit, etenim Eonius non multum antè mortem Arelatensem populum ad Cæsarium sibi substituendum hortatus fuerat, ac populus communi consensu Eonii sententiam approbat teste laudato Cypriano cap. 5.

Ex his nonnulla in Baronio corrigenda sunt. Ille Epistolam Symmachi ad Cæsarium datam VIII. Idus Januar. Probo V. C. Cos. non rectè retulit ad annum 502. quo cum Aviero Juniore Probus consulatum gessit, sed protrahenda est ad annum 513. quo Probus, & Clementianus Consules fuere ex Chronico Cassiodori, & Marcellini, præsertim cum memoratæ Epistolæ alteram Baronius subnectat, in quâ delatî Cæsario pallii mentio fit, quod post illum annum 502. accidit, cum Cæsarius Romam profectus est, Theodorico Rege Ravennæ prius placato, ut fufius Cyprianus narrat. Recitat idem vir insignis ex codice Arelate ad se transmissò Epistolam Felicis Papæ ad Cæsarium datam tertio Nonas Februarias. Post consulatum Manlii Severini Boetii, est annus 488. Ego verò loco Cæsarii Eonium restituendum putabam; at postea vidi diligentissimum Sirmondum in vetustissimo codice apud Arelatem invento legere: *Post Consulatum Fl. Maxortii* anno 528. Rursus literæ Gelasii, & Symmachi ad Eonium nullum errorem continent, neque cum Baronio loco Eonii ponendus est Cæsarius, etenim Eonius usque ad annum 503. Arelatensem Ecclesiam rexit, ad quem postrema litera ab Apostolicâ Sede datâ leguntur *Iterum post consul. Paulini*, nempe anno 500. Eodem pacto corrigendus est Binius, qui nullâ ferè diligentiori curâ adhibita Cardinalis Baronii annales suis in Concilia notis inseruit.

Baronius idè antiquiorem Cæsarium fecit, quòd illum in Gennadii catalogo recensitum legerat cap. 86. his verbis: *Cæsarius Arelatensis Urbis Episcopus vir sanctitate, & virtute celebèr scripsit egregia, & grata valde, & Monachis necessaria opuscula &c. floruit hic eo tempore, quo & Faustus Anastasio Rempubliam gubernante.* At Gennadius tempore Gelasii Papæ librum de Illustribus Scriptoribus composuit. Cum verò Suffridus insertum Gennadio illud caput de Cæsario dixisset, Baronius id ullo absque fundamento fingi dicit. Verum Cæsarium esse Gennadii libro infartum, vel indè colligere poterat Baronius, quòd Gennadius Prosperum acriter reprehendit, qui Cassiani libellum de gratiâ impugna-

verat, cur igitur non modò pepercisset Cæsario Faustum ejusdem scholæ Doctorem confutanti, verum & illius volumen contra Fausti opus, ut ille ait, *egregium de gratiâ Dei à Sede Apostolicâ latius promulgatum, ac divinarum scripturarum, & Sanctorum Patrum judiciis munitum asseverasset?* Gennadius, ut auctor est idem Baronius ad annum 490. librum de Scriptoribus illustribus edidit anno 493. Quare ergo non dixit, de Cæsario uti de cæteris facit, *vixit adhuc, vel, vivere adhuc dicitur &c.* sed ait: *Floruit hic eo tempore, quo & Faustus Anastasio Rempubliam gubernante,* ex quo modo loquendi videntur disertè illa esse scripta post annum 518. quo mortuus est Anastasius Imperator. Imò qui ea scripsit, parum Cæsarianæ chronologiæ peritus fuit; nam tradit, floruisse eo tempore, quo & Faustus Anastasio Imperatore, quod prorsus falsum est, siquidem Faustus anno 462. Reversum Episcopus Romanam legationem obivit, at Cæsarius post octennium natus est, quâ igitur ratione simul florere, si illo in ore famæ versante, iste necdum vitali aurâ fruebatur? quando verò Cæsarius vicefimum tertium ætatis annum attigerat, Faustus decessaret, neque hic dicendus est floruisse sub Anastasio, sed sub Leone, & Zenone, cum dubium sit, an attigerit primum Anastasi annum, nempe 491. Præterea Cæsarius non solum primâ juventâ floruit sub Anastasio, sed sub Justino, & tandem sub Justiniano, cujus imperii anno XVII. decessit. Hinc in editione librorum Sancti Hieronymi, quibus Gennadii liber insertus fuit, nulla de Cæsario mentio fit, quare additus videtur à pio quidem, sed parum erudito homine, quasi voluerit Cæsarium Fausto veluti veneno antidotum de proximo opponere.

CAPUT XXIII.

Felix IV. Arausicana Synodus, & Bonifacius II. Semipelagianos damnant. Annus Synodi, & utriusque Pontificis certus statuitur.

Cæsarius animadvertens Semipelagianorum factionem in Gallias potentiorē esse, quàm ut suis, ac collegarum viribus superari posset, Felicis IV. auxilium imploravit, quòd hostes de superiori loco percuteret, hisque dejectis Augustiniana æquè, ac Catholica doctrina in nobilissimâ provinciâ facta, tectaque servaretur. Felix roganti suppetias tulit; neque illi dju consultandum fuit, undenam in Gallias auxilia submitterentur. Etenim decessorum vestigiis inhærens ex Ecclesiasticis seriniis aureas Sancti Augustini sententias de divinâ gratiâ, & libero arbitrio selectas ad Cæsarium magno cum Augustiniani nominis incremento transmisit. Celeberrimus tunc in urbe Arausicanâ conventus agebatur in dedicatione Basilicæ à Liberio V.C. Ex-Præfecto Prætorio extructæ. Erat hic Cæsario amicissimus, à quo cum lethali vulnere percussus fuisset, sanitati restitutus fuit ex Messiano lib. 2. de Vitâ Cæsarii cap. 5. Arausicam non modò sacri Antistites, sed & nobilissimi quique confluerant, quare Cæsarius opportunam occasionem nactus coacto Sapientissimorum Patrum, ac virorum illustrium Senatu sententias ab Sede Apostolicâ ad se transmissas protulit, id enim ex præfatione Synodi colligitur, ubi hæc recitantur. *Pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratiâ, & libero arbitrio minus cautè, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde id nobis secundum aucto-*

rita-

ritatem, & admonitionem Sedis Apostolica iustum, & rationale visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus, in hac præcipue causâ collecta sunt, ad docendos eos, qui aliter ac oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus; Quibus lectis, qui huc usque non sicut oportebat de gratiâ, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholica conveniunt animum suum inclinare non disserat. Sequuntur viginti quinque canones, quibus Semipelagianorum sententiæ, quæ eò usque citrà ipsâ fidei crimen liberè delentia fuerant, condemnatæ sunt, ut abique hæreseos notâ à quovis in posterum propugnari non poterint. Quæ perlique non animadvertentes magnam Sanctis Patribus Hilario Arelatensi, Vincentio Lerinensi, & ut alii etiam volunt, Joanni Chrysoſtomo, atque à Græciâ Doctoribus injuriâ irrogari conqueruntur, si Semipelagianorum sententias asseruisse dicantur, id enim fecere vel nondum motâ, vel pendente lite, sicuti neque quicquam detrimenti tubiret Sancti Thomæ, Sancti Bonaventuræ, Agidii, ac tot Patrum, & Scholasticorum gloria, ac fama, si à Sede Apostolicâ Beatæ Virginis conceptus ab originali noxâ immunis decerneretur, cum magis illi viri oppositum defenderint, quando nihil ea de re certi Catholica fides itauisset. Cæterum in hac Synodo Araucanâ II. Cassiani, & Faustii sententiæ damnatæ sunt, cujus canones, cum passim legi possint, haud hoc loco exscribendos duxi. Initium fidei, ipsum etiam credulitatis affectum Dei donum esse decernitur can. 5. Gratiam non dari petentibus, quærentibus, pulsantibus, sed dari potius, ut velimus, & petamus, & quæramus, & pulsemus can. 6. Adjuvium Dei etiam Sanctis semper implorandum, quò possint in bono opere perdurare can. 10. undè perseverantia Dei donum esse intelligatur. Omnia hoc can. 20. comprehenduntur: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Quam Ecclesiæ Catholicæ definitionem Magnus Augustinus hisce præformarat libro 2. ad Bonif. cap. 8. in fine: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.* Quibus verbis totum divinæ gratiæ dandum, idest & initium, & progressum, & perseverantiam pronuntiavit, cum initium, & perseverantiam in bono opere Semipelagianis divinæ gratiæ concedere recusarent, undè contra eosdem ad Prosperum, & Hilarium libros olim Sanctus Augustinus transmiserat. Canone verò 22. humani arbitrii adversus divinam gratiam tumor eliditur: *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum;* quod est Sancti Augustini theorema iisdem verbis expressum apud Prosperum sentent. 323.

Et quidem in hac Synodo ex Augustinianis sententiis universos conflatos canones eruditè ostendit Binius in notis ad hoc Concilium. Quod verò in præfatione dicuntur collecti ab antiquis Patribus, indè est, quòd Sancti Augustini sententias Bonifacius, Cælestinus, Leo, Gelasius, Prosper, & plurimi alii, quorum scripta perire, secuti sunt, ut quæ unius Augustini voces fuerant, à reliquis Patribus, qui successere, excepta communem Ecclesiæ consensum fecerint. Cæsar Cardinalis Baronius vir ætræ omnem laudem, satisque suo nomine clarus in appendice Tomi 10. in addendis ad Tomum 7. ait: *Recitant, inquit de Patribus Araucanis, capita in*

Gallias ab ipso Romano Pontifice missa, profitentes ea cuncta haud recentem esse Ecclesiæ doctrinam, sed antiquorum Patrum definitionem, eandemque Apostolicam Sedis auctoritate firmatam, quæ Apostolica Sedes, ut suis locis superius est declaratum, Sancti Augustini se professæ est de gratiâ, & libero arbitrio probare sententiam. Legantur etiam, quæ habet Tom. 6. anno 463. Jacobus Sirmondus Tom. 1. Conciliorum Galliæ in notis ad hanc Synodum Araucanam scribit: *Cæterum gravi, ac diuturna contentioni, quæ sanctissimos, & doctissimos utrimque viros in Gallia centum, & amplius annis exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Araucanica II. quæ totam de gratiâ, & libero arbitrio controversiam ex Sancti Augustini sententiâ composuit.*

Quæ autem post canonem 25. addita sunt, haud arbitror à Felice IV. transmissa, sed potius ab ipsis Araucanis Patribus adjuncta ad Semipelagianorum technas evertendas, ac Faustii Sæctores penitus convincendos. Nam veluti quatuor alios canones subnectunt. In horum primo statuunt fidem Abel, Noe, & aliorum veteris testamenti Patrum non ex viribus naturæ erupisse, sed Dei dono eidem attributam fuisse, cujus oppositum docuerat Faustus lib. 3. cap. 6. & 7. Cum verò idem Faustus opponeret, asserere adversarios, baptizatum non prædestinatum non esse verè sanctificatum, atque homini omnem prorsus sollicitudinem salutis auferre, dum gratiam, & gloriam munera facerent otiosos lib. 1. cap. 10. Canone secundo Faustii imposturas rejicientes decernunt, omnibus in baptismo gratiam Dei donari, & omnes Deo auxiliante posse, si fideliter laborare voluerint, divina mandata adimplere. Rursus, quia idem cum a seclis pronuntiaverat, defensores Augustinianæ sententiæ de prædestinatione docere, Deum æquè prædestinare hominem ad bonum, ac ad malum, Patres non solum protestantur se non credere, à Deo quempiam ad malum prædestinari, sed si quis tam impiè de Deo sentire ausus fuerit, eundem anathemate configunt. In postremo canone, quòd omne Semipelagianis effugium præcluderent, tradunt, nos non incipere bonum, Dei verò gratiâ adjuvari, ut in bono proficiamus, sed fidem, quæ omne bonum præcedit, à Deo inspirari, cujus misericordiæ deputandam definiunt fidem Cornelii, Zachæi, & Latronis in cruce, cujus oppositum docuerant duo Semipelagianæ Scholæ Magistri Cassianus Collat. 13. cap. 10. & Faustus lib. 2. cap. 8.

Quo anno hæc Synodus peracta fuerit, olim à Baronio erratum est, itidemque Bellarmino, Suario, Vasquio, & aliis, qui tempore Leonis Papæ eum conventum coactum dixere, quia tempus Cæsarii Arelatensis ignorabant; at ex subscriptione ejusdem res modò certa evasit, ibi enim legitur: *Cæsarius in Christi nomine Episcopus constitutionem nostram religi, & subnotans subscripsi V. Nonas Julii Decio Juniore V. C. Consule.* Hic Decius Junior consulatum gessit anno 529. Baronius in appendice Tomi 10. ad Tom. 6. ait, errasse se Panvini factos secutum pro arbitrio mutantis, vel addentis nomina Consulium; at cur in Panvinium culpa devolvitur, qui Consules suis nominibus, & agnominibus expressit? Sandè in commentariis fastorum lib. 3. ad annum 529. ait: *Anno Christi DXXIX. Decius sine collegâ consul in Occidente fuit.* Indè verò Baronius, atque alii hujus Araucani, & aliorum Conciliorum, quibus Cæsarius præfuit, tempus ex Cypriano Cæsarii discipulo in libro de Vita ejusdem cap. 30. deducere poterant, ubi ait: *Quorum intentionibus vir Dei Cæsarius dedit*

veram, & evidentem ex traditione Apostolica rationem, nam beata memoria Bonifacius Romana Ecclesie Papa eadem colluctatione compertâ calcatâ intentione jurgantium, prosecutionem sancti Casarii Apostolicâ auctoritate firmavit. Itaque discipulus ille Casarii, qui post annum 531. quo mortuus est Bonifacius II. Papa, testatur gesta Synodalia Casarii fuisse ab eodem Bonifacio approbata, qui Pontificatum inivit, ut putant, anno 530. Quare etiam si literæ Pontificum ad Casarium id non demonstrarent, Baronius qui ex Cypriano omnia ferè excerpta suis Annalibus inseruit anno 453. pag. 191. adnotare etiam poterat vixisse Casarium sub Bonifacio II. Illud verò maximè displicet, quod ibidem Baronius scribit, nempe pœnitere se Panvini fastos secutum fuisse. Etenim hujus celeberrimi Scriptoris fasti adeò exactè descripti sunt, ut jure, ac merito à Lipsio dicitur fuerit *Pater fastorum*. Cæterum Baronius in tribus prioribus Tomis Annalium frequenter Panvini fastos relinquit, ac longè diversâ parâ Consulatum statuit, in quibus tamen semel tantum jure meum Panvinium corrigit, nempe ad annum nostræ Christianæ epochæ 277. quo anno statuit Consules ordinarios Probum, & Paulinum, quos Panvinius consules suffectos existimavit. Sed ipse quoque Baronius labitur, dum scribit eo anno Probum nondum Imperatorem fuisse. Est insigne rescriptum ejusdem Probi Imperatoris lib. 8. Cod. Justin. l. 2. de *Revoc. donat.* ad Felicem *Dat. III. Non. Maii Sirmii Probo. Aug. & Paulino Cofs.* Præterea Sanctus Leo serm. 12. Pentec. ait, hæresim Manetis innotuisse *Probo Imperatore, Paulinoque Consulibus*. Eusebius etiam in Chronico scribit: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos 325. juxta Tyrios 402. &c. insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.* Epocha Antiochena 48. annis Christianam anticipat; igitur his detractis annus secundus Probi est 277. Item Epocha Tyriorum est antè nostram vulgarem annis 125. nam æt. 10. Synodi Chalcedonensis initio libelli Iba Edesseni annus post consulatum Fl. Zenonis, & Posthumiani, nempe 449. dicitur apud Tyrios 574. Quare detractis annis 125. ab epochâ Tyriorum ab Eusebio recitata, regrediemur ad annum 277. Erravit autem Reformator Chronologiæ Ricciolus, dum anno eodem 277. ponit consules *Probum Imp. & M. Furium Lupum*. Probus enim anno insequenti collegam eundem Lupum habuit ex omnibus fastis, & laudatur rescriptum Probi Imperatoris lib. 2. ejusdem Cod. tit. 17. ad Octavium *Dat. IV. Kal. Julias Probo. A. & Lupo Cofs.* Exactam fastorum nostri Panvini defensionem concinnavi, quam aliâ occasione publicabo. Vossius lib. 1. cit. cap. 53. scribit, etiam anno 509. Decium Importunum Consullem fuisse, undè igitur, inquit, non hujus tempore Arausicanam Synodum celebratam novimus? Nos quidem, ut cætera sileamus, ex Eucherii Episcopi Lugdunensis subscriptione id conperimus, nam Viventiolus Eucherii decessor subscripsit Synodum Epauensem, quæ Agapito Consule anno 517. celebrata fuit, quare cum Eucherius Viventioli successor interfuerit Synodo Arausicanæ, ista haud celebrari potuit Consule Importuno Decio anno 509. Huic verò Concilio subscripti leguntur plures viri nobiles, quorum primus est Liberius Præf. Præt. qui sacrum dedicationis templi celebrabat, de quo viro plura Baronius in appendice citatâ, & Vossius lib. 1. de Hæresi Pelag. cap. 54. Sed omne dubium

de tempore hujus Synodi tandem sustulit Epistola Bonifacii II. ad Casarium, de quâ statim dicemus.

Quæri solet, fueritne hæc Synodus ab Apostolicâ Sede specialiter approbata? Negant Suarius, aliique, at in codicibus MSS. Fossateni, & Laudunensi Synodo huic præponebatur Epistola Bonifacii II. ad Casarium cum hac adnotatione: *In hoc codice continetur Synodus Arausicana, quam per auctoritatem sanctus Papa Bonifacius confirmavit &c.* Edita est Bonifacii Epistola ad Casarium à Sirmondo, & postea ab Holstenio ex emendatiori codice Vaticano, in quâ Pontifex hæc scribit: *Quapropter affectu congruo salutantes superscriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis adprobamus.* En aperta sententiâ Apostolicæ Sedis Arausicana decreta confirmata. Datæ sunt literæ Bonifacii exacto sexto mense à peractâ Synodo, ut mox explicabimus.

Verum neque hujus Synodi auctoritas Semipelagianorum audaciam infringere poterat, nonnullis Episcopis damnatæ sententiæ astipulantibus. Etenim cum omnes virtutum actus divino muneri acceptos ferrent, solam fidem ex humani arbitrii viribus proflire contendebant. Quare Casarius Valentiam Synodum postea indixit, ut frequentioribus suffragiis Augustiniana doctrina adprobaretur; nam statuta in Arausicano conventu minori fortè apud nonnullos auctoritate gaudebant, quòd inter templi consecrationem quasi aliud agentes Synodum illi Episcopi habuisse dicebantur. At Casarius adversa valetudine præpeditus adesse non potuit, ejus tamen vices pro divinæ gratiæ defensione sustinuit Cyprianus Episcopus Tolonensis, cujus quidem Synodi acta periere. Auctor est Cyprianus, Sanctum Casarium in Galliis malè apud plures audivisse, quòd eorum judicio sinistras de divinâ gratiâ opiniones, ac pravas sententias teneret; & quidem fortè Arausicanis decretis per vicinam Galliam publicatis, nonnullis plus justo gratiæ vires extulisse videbatur. Quare quòd falsò de suamet fide diffamatum opinionem elideret, Valentiam Synodum cogendam iussit, ejus enim erat eos conventus in Gallicanis Provinciis indicere ex Epistolâ Ruricii Lemovicensis Episcopi ad eundem Casarium lib. 2. Epist. 32. Libet ejusdem Cypriani verbis omnia hæc intelligere: *Multi quidem emuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ de gratiâ predicanti. Sed ò felicitas emulanda! Etenim susurris, & malâ interpretatione quorundam obortur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis frustra sinistra suspicio. OB HOC Antistes Christi ultra Isaram consistentes charitatis amore collecti in Valentiam civitate conveniunt, ubi etiam B. Casarius infirmitatis causâ sollicitans, sicut disposuerat, properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de Episcopis cum Presbyteris, & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tolonensis Episcopus Antistes magnus, & clarus enituit, omnia, quæ dicebat de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quenquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratiâ præveniente vocatus &c.* Quorum intentionibus vir Dei Casarius dedit veram, & evidentem ex traditione Apostolicâ rationem. Nam *Beata mem. Bonifacius Romana Ecclesie Papa eadem colluctatione compertâ, calcatâ intentione jurgantium prosecutionem S. Casarii Apostolicâ auctoritate firmavit.*

Casarius, cum Episcopos illos adhuc eâ in opinione de fidei initio ex viribus naturæ obstinatiùs persistere animadverteret, per Armenium Abbatem omnium à se gestorum illâ in causâ Felicem IV. certiore

riorem fieri curavit, ad quod etiam apud Pontificem promovendum Bonifacii operam deprecatus est, quo cum veterem amicitiam colebat. Verum Felix Pontifex decessit IV. Idus Octobris, cui successus fuit ipse Cæsarii amicus Bonifacius, qui acceptis ab Armenio literis VIII. Kal. Februarias respondit. Ex his literis colligitur nonnullorum Episcoporum sententiam fuisse, fidem esse ex nobis. *Indicas enim, ait, quod aliqui Episcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquererint gratiâ provenire, fidem tantum, quâ in Christum credimus nature esse velint, non gratiæ, & hominibus ex Adam, quod dici nephas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate confervi, postulans, ut pro ambiguitate tollendâ, confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium juxta Catholicam veritatem per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicæ firmavimus.* Postea Pontifex Cæsarii sententiam ex Sancti Augustini præsertim, & Romanorum Pontificum testimonio comprobari asseverans addit: *Atque idè de hac remulti Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri Apostolicæ Sedis Antistes, ita ratione probentur disservisse latissimâ, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratiâ.* Rursus Synodi à Cæsario peractæ mentionem faciens, ejus sanctiones juxta fidem Catholicam latas adseverans addit: *Quod etiam Fraternitatem tuam habitâ collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam, in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definiunt fidem, quâ in Christo credimus, gratiâ divinitatis præveniente confervi; adjicientes etiam nihil prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratiâ aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: Sine me nihil potestis facere &c.* Quapropter a festu congruo salutantes superscriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis adprobamus. Episcopi etiam cujusdam Epistolam Semipelagianis erroribus refertam Cæsarius ad Pontificem transmisserat, qui illius correctionem ab industria Cæsarii divino adspirante Numine sperare se dicit. Hæ literæ Bonifacii in antiquis codicibus dicuntur datæ VIII. Kal. Februarias Lampadio, & Oreste Confl. anno scilicet 530. & hoc pacto editæ sunt Romæ anno 1652. in fine Opusculorum Sancti Augustini de gratiâ. At Sirmondus Baronii chronologiam secutus legendum putat P. C. Lampadii, & Orestis, qui est annus 531. Cardinalis Baronius Anastasium imitatus Bonifacii initia statuit Lampadio, & Oreste Coss. mense Octobri, finem verò die 17. Octobris P. C. Lampadii, & Orestis anno scilicet 531. sed utrobique eundem errasse certum est. Etenim celebratâ anno 529. V. Nonas Julias Synodo II. Arausicanâ Cæsarius ejusdem confirmationem petiit à Felice Papa misso Romam Armenio Presbytero, & Abbate rogans Bonifacium, quem amicissimum habebat, ut à Pontifice confirmationem impetraret; ceterum prius quàm discederet Armenius, moritur Felix, eligiturque Bonifacius, licet nonnulli pro Dioscoro Schisma constarent, qui tamen intrâ paucos dies moriens alteri citrà controversiam Pontificatum reliquit. Do initium Epistolæ Bonifacii ad Cæsarium: *Per filium nostrum Armenium Presbyterum, & Abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet inscius adhuc Sacerdotii mihi*

commissi (ita enim ex vetustissimo codice Vaticano legit Holstenius in notis ad Synodum Bonifacii II.) *sub eâ, quâ in Deo tenemur, charitate direxeras, quibus credideras postulandum, ut id, quod à beatæ recordationis decessore nostro Papa Felice pro Catholice fidei poposevas firmitate, meâ explicaretur instantiâ. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, à nobis potius impetraves &c. & subscribitur Epistola: Data VIII. Kal. Februarias Lampadio, & Oreste VV. CC. Confl.* Ibi quoque mentio habetur Synodi à Cæsario celebratæ. Quis verò existimet, Cæsarium post annum scripsisse ad Sedem Apostolicam, se Synodum apud Arausicam coegisse? Quare anno eodem 529. celebrati abs se Concilii Felicem Papam certiore reddidisse dicendus est, dum verò Armenius literas Romam delaturus esset, mortuo Felice eodem anno 529. successit Bonifacius, qui anno sequenti die 25. Januarii respondit Cæsario. Certè subscriptiones epistolarum Felicis, quæ ponuntur datæ Consulibus Lampadio & Oreste, ex hac Bonifacii subscriptione corrigendæ sunt, præsertim eum alteram datam ad Sabinam XII. Kal. Novembris ipse etiam Baronius eadem spongiâ emendandam dicat. Sed neque finis pontificatus Bonifacii rectè statuitur à Baronio, ac cæteris communiter cum Anastasio die 17. Octobris P. C. Lampadii. Nam apertæ falsitatis convincuntur ex actis Synodi Romanæ à Bonifacio eodem celebratæ, & à Lucâ Holstenio editæ, ubi sessio prima ita incipit: *Post consulatum Lampadii, & Orestis VV. CC. sub die VII. Iduum Decembrium in consistorio Beati Andrea Apostoli præsidente venerabili vivo Papa Bonifacio &c.* Ex quibus vixisse Bonifacium usque ad Decembrem anni 531. evidenter demonstratur. Extat in Ecclesiâ Sancti Petri ad vincula Romæ hæc inscriptio.

SALBO PAPA N. JOHANNES COGNOMENTO
MERCURIO EX SCE. ECCL. ROM. PRESBYTERIS
ORDINATO EX TIT. SCI. CLEMENTIS AD GLORIAM
PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP. PATRONO SUO A VINCULIS EJUS SEVERUS
PB. OFRT. ET IT. PC. LAMPADI ET ORESTIS
VV. CC. URVICULUS CEDRINUS.

Infert Baronius ad annum 531. *Ex his igitur quàm perspicue vides sedere cœpisse hoc anno 531. post Bonifacii obitum Joannem cognomento Mercurium.* Verum indè tantum colligitur anno 532. Joannem Papam fuisse, non verò anno superiori eundem Pontificatum iniisse; ponitur enim in inscriptione *Iterum post Consulatum Lampadii, & Orestis*, quo caractere non indicatur annus 531. sed insequens 532. Vir diligentissimus Panvinius scribit 22. Januarii anno 532. Joannem Papam electum, & sanè ante dies 44. sedebat Bonifacius ex sessione secundâ laudatâ Synodi celebratâ *Post consulatum Lampadii, & Orestis VV. CC. sub die V. Iduum Decembrium.* Certè rideo legens scholiastem Ciacconii, qui in margine argutulus notat veteres usos eâ notâ IT. nempè ITERUM, hoc est, inquit, anno 531. ineptè, cum hic annus sit *Post consulatum*, sequens verò *iterum post consulatum Lampadii.*

Felix, ejusque successor Bonifacius de Augustiniana scholâ optimè meriti fuere. Ille enim ex unius Augustini libris sententias depromptit, quas tanquam fidei oracula fidelibus credendas proposuit, unius Augustini ore in profligandis diuturnis de divinâ gratiâ litigiis usus. Hic verò eadem dogmata

ad-

adprobavit, & ad assequendam perfectiorem divinæ gratiæ intelligentiam præ cæteris beata recordationis Augustinum Episcopum tanquam Magistrum optimum proposuit, laudavitque. Hinc factum est, ut horum duorum Pontificum sanctionibus Cassiani, Fausti, ac reliquorum ejusdem doctrinæ hominum errores tanquam hæreses postea ab Orthodoxis omnibus rejecti fuerint, neque amplius inter adiphora numerari potuerint. Ita longissimo certamini, quod centum annos, & quod excurrit, Gallias præsertim in partes distraxerat, Augustino causâ adjudicatâ ab utroque Pontifice finis tandem impositus fuit.

CAPUT XXIV.

Mors Fulgentii, ac Casarii, & utriusque comparatio.

ANNUM 529. quem victis, ac postremo prælio Semipelagianis profligatis lætum Augustinianum in Galliâ celebrabant, eisdem mœstum, ac luctuosum in Africâ facit Baronius ob Fulgentii Ruspensis mortem, quam eo anno contigisse tradit ad annum 504. pag. 561. quod auctor vitæ ejusdem scribit, mortuum Fulgentium sub Hilderico Rege in pace Ecclesiæ Africanæ. Sed nusquam, ni mei me oculi fallunt, hæc apud illum leguntur, undè magis miror, virum amicissimum Aloysium Torellum ad annum 504. num. 10. scripsisse, id à Baronio egregiè probatum. At Bollandus nihil in re dubiâ affirmare ausus Fulgentium circâ annum 529. obiisse dicit. Verùm ex his, quæ memoratus Scriptor capite ultimo tradit de consecratione Feliciani, qui Fulgentio successit, annum mortis ejusdem colligi existimo. Nec hoc interim, scribit ad Felicianum, prætereundum silentio judicari, quod dum ei successor idoneus quaereretur, discordantibus Laicis, & Clericis annum propè integrum prolixitas contentioni exegit, & illo die Sanctitas tua Super Cathedram ejus sedit, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc privilegio meruit prima solemnitas ejus depositionis, ut multo amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Itaque Felicianus Fulgentii successor consecratus est Episcopus Kalendis Januariis integro post decessoris obitum anno lapsus. Meritò Chiffletius dixit ex his statui certò posse annum, quo mortuus est noster Ruspensis Antistes. Juxtâ antiquos canones, ac Latine Ecclesiæ ritum Episcopi Dominicâ tantum die consecrabantur, quod quia nonnulli apud Dianam part. 12. tract. de consecr. Episc. Resol. 61. rerum Ecclesiasticarum ignari negarunt, paucis stabilendum est. Omitto Anacletum scribentem Epist. 2. ordinandos esse Episcopos Dominicâ die horâ tertiâ hæc siquidem Epistolæ ab eruditis commentitiæ, ac recentiori manu exaratae judicantur. Sanctus Leo Epist. 87. ad Episcopos per Provinciam Viennensem: Nec sibi, inquit, constare statûs sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucefcit in primam Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores nostri Dominicâ diem honore dignum judicare, ut Sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur. Idem Leo in Epistolâ ad Anastasium Theffalonicensem, quæ recitatur in Synodo Bonifacii II. ab Holstenio editâ pag. 143. scribit: Cognovimus sanè, quod non porimus silentio præterire, à quibusdam fratribus solos Episcopos tantum diebus Dominicis ordinari: Presbyteros verò, & Diaconos, circâ quos par consecratio fieri debet, p. ssum quolibet die dignitatem officii Sacerdo-

talis accipere. Et hæc quidem Latine Ecclesiæ consuetudo fuit. Fateor, Græcos antiquitus aliis etiam extrâ Dominicam diebus in Episcopos consecratos, Joannes Chrysostomus ex Socrate lib. 6. cap. 2. initiatus fuit Antistes 26. Februarii Honorio, & Euty-chiano Confl. nempè anno 398. die Veneris Cyclo Solis XV. Lunæ XIX. lit. C. Nestorius ex eodem Socrate lib. 7. cap. 29. inauguratus est ibidem Episcopus die 10. Aprilis Felice, & Tauro Cofs. nempè die Martis anno 428. Cyclo Solis XVII. Lunæ XI. lit. A G. Neque in Alexandrinâ Ecclesiâ solùm Dominicâ die Antistites consecrabantur; nam Theophilus obiit anno 412. die 15. Octobris ex Socrate lib. 7. cap. 7. qui ait: Tertiâ post obitum Theophili die Cyrillus ordinatus est. Decessit ergo Theophilus die Martis, nam Idibus Octobris fuit feria tertia Cyclo Solis I. Lunæ XIV. lit. G F. quare ejusdem nepos Cyrillus die Veneris in Cathedrâ primum sedit. Leo Magnus egit per literas cum Dioscuro Alexandrino, ut die Dominico tantum Sacerdotes consecraret hæc scribens: Et ideo piè, & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à vespere Sabbati initium constat ascribi: Epist. 79. vel 81. ex cujus initio palam fit, in die consecrationis Episcopi Alexandrinam Ecclesiam cum Romanâ non convenisse. At Africani Episcopi, cum essent intrâ Patriarchicam diocesim Romani Pontificis, Dominicâ tantum die consecrabantur. Hinc Aurelius Episcopus Carthaginensis in Synodo Africanâ celebratâ Attico, & Casario Consulibus nempè anno 397. in Cod. Africano cap. 39. agens de numero Episcoporum qui ad Antistitis consecrationem necessarii sunt, minimè probans duodecim requiri Episcopos dixit: Nam & in hac Ecclesiâ, ad quam dignata est Sanctitas vestra humaniter convenire, crebro, ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus; Nunquid tam frequenter potero duodecim, vel decem, vel multo minus advocare Episcopos? Hujus autem consuetudinis rationem tradit Albinus Flaccus de offic. tit. Sabbat. in lect. 12. Episcopi, inquit, consecratio, qui est Vicarius Apostolorum, imò & Christi, fit in die Dominicâ, quia eodem die per donum Spiritus sancti dignatus est illustrare corda Apostolorum. Ex his habemus Felicianum ordinatum Episcopum Kalendis Januariis die Dominicâ, at dies Dominica incidit in Kalendas Januarias anno 534. Cyclo Solis XI. Lunæ III. lit. A. Quare Sanctus Fulgentius anno superiori 533. die Sabbati ad superos transisse dicendus est Gelimere Vandalorum Rege tyrannidem exercente. Natus est Fulgentius anno 458. Episcopatum suscepit anno 508. ætatis 40. eaque in dignitate viginti quinque annis exactis obiit cum quintum supra LX. annum ægeret ex Socrate vitæ ejusdem cap. 30. Putat Chiffletius hunc, qui Magist. i gesta literis consignavit, esse Ferrandum Diaconum virum ob insignem eruditionem celeberrimum, ad ætas anno 534. opus illud evulgasse. Sed levibus conjecturis in eam opinionem fertur, quibus tamen pluribus eruditus viris id suavit. Quod verò res à Fulgentio gestas idem anno 534. descripserit, planè falsum est, nam cap. 29. Sanctæ memoriæ Bonifacium Primatem Carthaginensem nominat, qui sanè, dum illa scribebantur, fatis jam concesserat; obiit verò Bonifacius anno 535. Belisario Consule, ut testatur Tunonensis Episcopus, qui eo tempore vivebat in Aphricâ.

Cæsarius diu post Fulgentium superstes fuit, quo annitente Semipelagianorum potentia, quæ maxima in Galliis fuerat, non modò infirmata, sed penitus fracta concidit, omnibus Episcopis Augustino nomen dantibus, quæ Cyprianus cap. 30. his narrat: *Nam beatæ mem. Bonifacius Romana Ecclesiæ Papa eadem colluctatione compertâ, calcatâ intentione iurgantium profecutionem Sancti Cæsarii Apostolicâ auctoritate firmavit. Idem donante Christo paulatim Ecclesiarum Antistites præceperunt, quod optaverat Diabolus repentinâ animositate cassare.* Cæsarius usque ad quadragesimum tertium illius sæculi annum Arelatensem cathedram periculosis sanè temporibus rexit. Instante verò morte novo insuper testimonio suum ergà Augustini personam studium confirmavit; dabo hoc ipsius Cæsarii discipuli verbis expressum cap. 22. de vitâ Cæsarii apud Surium ad 27. Augusti: *Inter non modicos, quos pariebatur dolores, sciscitatus est, quam proximè esset beatissimi Augustini depositionis dies, & cum imminere commemorationem ejus didicisset: Confido, ait, in Domino, quòd meum transitum non longè diuisurus est ab ipsius Patris Augustini natali, quia, ut ipsi scitis, quantum dilexi ejus Catholicissimum sensum, tantum me, & si discrepantem meritis, minime tamen reor, distantia longiore depositionis meæ diem ab ejus obitu tempore sequestrari.* Voti compos obiit VI. Kal. Septembris pridie festum Sancti Augustini, quâ die illius nomen Ecclesiæ fastis insertum est, eidemque insignis hæc Patavina Ecclesia, cujus modò sacra moderatur Eminentissimus S. R. E. Princeps Gregorius Barbadius literarum eruditione, ac morum sanctitate spectandus, solemnè ritu susceptâ à majoribus ergà Cæsarium veneratione precum officia quotannis persolvit.

Hæc sunt, quæ de sanctissimis, ac doctissimis Præsulibus Fulgentio, & Cæsario memoratu digna adversus Faustum, ac postremos Pelagianæ Hæresis conatus ex antiquorum Scriptorum monumentis eruere potuimus, quorum si mutuam comparationem instituamus, Castorem dixeris, ac Pollucem, aded in omnibus ferè similes evasere. Uterque nobili genere ortus liberalibus disciplinis se erudiendum tradidit. Cæsarius quidè Pomerii Africani summi eâ tempestate in Galliâ Rhetoris scholam adiit, at nocturno quodam prodigio territus non frequentavit. Fulgentius Græcis literis apprime eruditus, dum Latinis etiam animum addidit, amisso Patre scholam imperio matris deserere coactus, domestica negotia curanda suscepit. Ambo juvenes Eremiticæ vitæ desiderio exarsere, quò à turbis semoti sibi, Deoque commodius vacarent. Cæsarius Lerinense monasterium Dæmone nequicquam magnis eum vocibus interpellante petiit. Fulgentius verò Augustinianum Monachum induit, matre suspiriis, ac clamoribus omnia implente. Utrumque Monasteriarcham cœnobita habuere, unaque cum ipsis omnium virtutum choros. Invitis sacræ insulæ à populis impactæ sunt, frustra ipsis renitentibus. Ful-

gentius enim fugâ sibi consulens, incertis Eremitæ latibris sese abdidit. Cæsarius sepulchri latibula petiit; sed neuter fugâ divinæ providentiæ consilia potuit prævertere. Ambo ab Arianis Regibus Romani Imperii domitoribus in exilium deportati sunt. Alaricus Gothorum Rex Cæsarium Arelate expulit. Trasamundus Vandalorum Rex Fulgentium in Sardiniam relegavit. Fulgentius ab exilio revocatus coram Vandalo Rege stetit: Cæsarius uti læsæ majestatis reus ad Theodoricum Gothum Ravennam usque tractus est. Uterque tamen de Arianis Regibus triumphavit. Hic benevolum vel solo aspectu Principem sibi fecit, & regis etiam muneribus decoratus abscessit. Ille subtili aded disputatione Barbarum turbavit, ut Fulgentium iteratò, ne victus videretur, in exilium deportandum jussit. Unus amoris, alter timoris ab invitis pectoribus confessionem extorsit. Ambo ab Arianis in Faustum Rejemsem pro Augustinianâ doctrinâ sartâ testâque servandâ aciem deflexere. Duo tum temporis Augustinianæ Scholæ Magistri pro eadem strenuè collaborarunt. Unus septem missis in Orientem libris Faustum ejusque sectatores ibidem profugavit. Alter in Occidente pro Augustino cum ejusdem Faustii discipulis propius collato pede certavit, iisdemque diversis quidè locis, sed eadem virtute vincentibus, Semipelagiani fractis viribus, atque in Oriente, & Occidente ingenti clade prostrati, toto Catholico Orbe exasti sunt. Uterque contrâ eosdem Synodis præfuit, Cæsarius auctoritate, Fulgentius doctrinâ, ambo magisterio. Horum sanè strenuissimorum Augustiniani nominis propugnatorum imagines in secretiori larario Sancti Augustini doctrinæ cultoribus propè ejusdem Magni Doctoris effigiem colendæ sunt; utriusque enim operâ factum est, ut anno trigesimo supra quingentesimum extinctis quaquaversum Pelagiani belli tumultibus, idem annus, qui ab Augustini obitu centesimus numerabatur, ab Augustinianæ Scholæ viris, atque divinæ gratiæ defensoribus in pace ageretur, ac seculari pompâ more Majorum D. Augustini ad superos transitus celebraretur, anno à Pelagianâ Hæresi primùm in Africâ publicatâ centesimo decimo nono. Hoc sanè fuerat Sancti Prosperi antè centum annos vaticinium, nam cum plurimos in Galliâ contrâ Sancti Augustini doctrinam insurrexissè à Rufino accepisset, tale eidem responsum dedit: *Conside ergo in virtute misericordie Dei, quoniam hæc contradictio, sicut in aliis mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescet, ut prædicatio SUMMI hoc tempore in Ecclesia VIRI etiam ab his, à quibus ad præsens revellitur, adjuvetur.* Etenim tota Galliâ in Augustini partes transit, & Ruricio Episcopo Lemovicensi primùm in eadem Galliâ templum sub Sancti Augustini nomine dedicante, ejusdem Sancti Doctoris sanctitas, ac doctrina divinâ favente gratiâ omnium adversariorum calumniis dissipatis, universos & cultores habuit, & defensores.

Ad Majorem Dei, & S. P. Augustini Gloriam.